…ius Sobieski.

Rex

Cyboni Joan. Christoph. Panegyricus Serenissimo et Invictissimo Joanni III.

PANEGYRICVS

SERENISSIMO

ET

INVICTISSIMO

IOANNI III

DEI GRATIA

REGI POLONIAE

Magno Duci Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Vołhyniæ, Podoliæ, Smolenſciæ, Liuoniæ, Seueriæ, Czerniechouiæ etc. etc.

Poſt liberatam obſidione Viennam

Et incomparabiles ex Turcis Victorias

A

CHRISTOPHORO IOANNE CYBONI Philoſophiæ Doct:

CONSECRATVS.

Anno Domini MDCLXXXIV.

ZAMOSCII. Typis Academicis

AD
INVICTISSIMAM MAIESTATEM
SCAZON

FAtale SCVTVM Thraciæ retendentis
Diros furores, Bosphori bonis orta
Procella Diuis, monstris obruti vindex
Alcida mundi, fulminans necem totam
Hector Viennæ, summe Principum Mauors,
Auguste noster, Patriæ Pater, Cæsar:
Fultus cruento victricem manum Sceptro,
Gemmisque pulchrum Lauro verticem cinctus,
Mirare, totum quos in Te probat cælum,
Et mille linguis clamat buccinans fama,
Gentes adorant, vix credunt, pauent, laudant,
Ausus stupendos: & quos iam perennantes
Æuo nepoti, victoris stylo ferri
Scripsêre fasti, istis demum legas chartis.
Non Te capaci sculpsimus quidem penna,
Non parte tota Maximum reuelamus:
Æternitatem suppar qui bibet sudor,
Et seculorum doctas hauriet frontes.
Sed Tu, calenti manantes adhuc tabo
Auge triumphos, hac non simplici palma:
Quòd quò, Gradiui celsis Te altius tollant
Lauris jugales, tantò pronior paruis
Frontem myricis inclines triumphalem.
Sic Te vel ipsi cælo proximum Diui
Iuncta coronant Lauru, quod suo more
Paruo corones Summus Te libens dono.

PANEGYRICVS

Ab ingentibus & magnificis, inter nulla fortunæ exempla memorandis, ſecuturæ ætatis fidem, omnem voti audaciam, & ſimilia audendi agendiq; ſpem exſuperantibus, imò vel ipſi inuidioſis cælo triumphis, ades profectò MAGNE REX, qualis ab omni ſoles labore major. Poſt victa enim tot, uno in bello ſtipata centum furoribus prælia, poſt eximium, nec vſitato vocabulo honorandum in Rempublicam meritum, Rem Polonam eò gloriæ prouectam, vt ſeculo pacem ſuo, & Orbi quietem armis victricibus afferat: poſt exhauſtam cupienti perdere Orbem fato effuſi Orientis procellam, & quidquid ingentium irarum, ab imò Tartari fundo excitæ Eumenides, ſe in exitium parantibus in animis acuere ſolent, fortiter & glorioſè triumphatum: adhuc pectora Phœbo Muſiſque ſacra, & certaturas pro emerita æternitatis gloria ingeniorum acies, in arenam prouocas; nec promiſcuam tantùm illorum turbam, ſed decoras etiam, quæ cælo vicinæ feruntur, mentes, denſa geſtorum ſerie cōtundis; & æquè præclarè ſtrata excidio Caſtra Biſtonum, ac concuſſas Mineruæ arces, in triumphi Tui pompam venire jubes. Nam inter lætos Patriæ dies, & publicum Lechici Orbis ludum, ſuper Tuo fortis AVGVSTE reditu, dum icta hactenùs fidelibus deſiderijs, longæq; moræ tormento excruciata pectora, & aduerſùs fortuita, Principis aſpectu ſuetos refoueri Polonos vultus, immodico gaudiorum radio perfundis: prægnantes literis curæ veniunt, vt illam, quam primo à limine vitæ, factis immortalibus adijſti, totamque ex aſſe occupas, manſuræ in ſecula famæ poſſeſſionem, tantis vectigalem triumphis faciant, &, quæ ſuum cuiq; decus rependit, poſteritati traducant. Sed hic Tu etiam, vel maximo Orbis Victore Maior, qui ſemper in bello quám poſt victoriam clarior, vota tranſcendiſti noſtra, ad primùm Regalis Purpuræ aſpectum, quam hoſtili tabo, egregiè feciſti dibapham, expalleſcente Muſarum verecundia, quòd, dum

pro Te Heroum inter Principes Phœnice, euiſcerato artium impendio, & percuſſis acri Thyrſo præcordijs, virile aliquid moliuntur ; non aliter dignè Te poſſe æſtimari inueniant, quàm cum inæſtimabilem dicant, & integrum Tuæ gloriæ pretium, Tibi ipſi eſſe concentricum fateantur. Hæc demùm ſupergreſſo mortale faſtigium Tuo NOMINI, quod & ipſe metus hoſtium amat, inter longè lateque plantata nemora trophæorum, aſſurgat olim, capax inuidiæ apud poſteros ex ingenijs palma : quod nemo Te Martem tunicâ tectum adamantinâ dignè ſcripſerit, nullus Achilli Tibi par Homerus, nulla Martios ſudores, quorum ipſa torcular eſt immortalitas, ebria quamuis Helicone toto, penna ſatis biberit, & ampliſſima quæq; laudum vaſtitas, magnitudini Tuæ, quâ vtraq; Phæbi cubilia imples, tantum addat ; quantum Oceani implent roris guttæ, aut languidæ faces, diei in Sole faciunt. Ille Tuus ipſe, toto ſolus in Orbe, verus ſui æſtimator animus, in cuius mores fortuna jus non habet, audax omnia perpeti, præter famæ ac innocentiæ delicata diſcrimina ; maximis difficultatibus obluctans, nec pro ſucceſſu tumidus. Virtus neſcia ignaui metus, & per ſumma pericula, exerceri gaudens, nutantibus mundi ruinis & admoto occurrere fato æquè prompta ac felix. Digna Lynceæ mentis hoſpitio conſiliorum vbertas, & Argo oculatior, in melius fata conuertens, pluſq; ab inuitis extorquens, quàm alij à fauentibus ſperarent. Ingenium quantæcunque fortunæ capax. Fortitudo cunctis timens & ſui ſecura, nec inter Reges ſolùm excellens, ſed inter illos etiam, quorum hæc ſola virtus eſt. Non regio ad faſtum præumbrata faſtigio ſed ſuis mixta Ciuibus Maieſtatis humanitas, ſolâ virtute, & benefaciendi poteſtate eminens. Totumque illud virtutum agmen, non quæ cæteris Regnantibus communes, ſed quæ Te Vulgo Principum exemptum, ad Deos euehunt. Vita demùm integra, in qua nihil præteritum excuſandum habeas. Hæc Te inquam, REGVM Maxime, in faſtos æternitatis grandi pagina referent, & à florenti ſemper proſperaq; Tui memoria, quam inſatiabiliter parâſti, repellent triſte æui ſenium, ac edacis omnium vetuſtatis gulam

non

non ſaturabilem frenabunt. Illis victoribus campis, in quibus paſſu maiore quàm humano, & inoffenſo fortium geſtorum curſu, quidquid Martium calcaueras, Laurus erat: in quibus ex vndante Ilij Viennenſis fumo, (cuius Tu præſidium Ciuibus feſſis, Tu murus eras) vt ille, quondam, os humeroſque Deo ſimilis Heros, non extuliſti tantùm ſaluam Patriam, ſed intuliſti triumphantem: in quibus concuſſi Orbis motum, & pænè totius Generis humani ruentis impetum, magnus Atlas ſuſtinuiſti: defenſa fortiſſimæ Vrbis mœnia ſtruent pulcherrimas Tibi olim effigies, & baiulos nominis duraturi coloſſos: telis an animis fugacibus grauidæ Gelonum pharetræ, pallenteſqueThracum Lunæ, triumphales arcus erigent: exarata in ceruicibus barbaris, victore ferro vulnera, vaſtum os aperient, ſemper Nomen laudeſq; Tuas locuturum: defenſus Terrarum Orbis, grandem voluet immortalitatis coronam. Et hoc eſt, quòd cum immenſo vaſtæ gloriæ exceſſu parem Tuis laudibus conatum, induſtriæ humanæ eripis, conemur tenues grãdia; benè cõſcij, quidquid erudito in orbe ſummum, vel cælo ſe propiùs adſtituit, jacere infra magnitudinem Tuam: nec mihi tantùm certam, in ſcribendo Triumpho Tuo, & deterendis culpâ ingenij factis immortalibus, cladem incumbere; ſed in vniuerſum omnibus, quicunque maximum iſtud, nec humanis conueniens viribus laudis argumentum, non tutâ voluntate, & conatu improbo attrectant. Mihi verò non tàm turpe vinci, quàm contendiſſe decorum: lætaborq; periculo, ſi vel incondita inter mancipia, & prædam vltimam, Currum triumphalem ſequi permiſeris; qui vtiq, cùm magnitudinẽ ſummæ fortunæ retineas, arrogantiam effugiſti, nec minorẽ apud hoſtes metum, quàm apud populares amorem poſſides, ô Mundi communis Amor! Dijs deniq; exiguâ thuris impenſâ tanta beneficia penſitamus.

Sæpè ego cum animo meo reputans, quando tandem mutans ille Regna Cometes; Orbe jam planè terrarũ hauſto, ſuum completura orbem Luna Turcica, ad eum, quem fatuæ rerum mortalium luci fatalem Numina poſuêre, creſcendi modum decreſceret; quando ominoſus rapiendis ab alieno-

enó cælo, quæ iam rara micant, luminibus, perfusus cæde Gentium, & Basilico Regum Sanguine purpuratus Oriens, ad ineluctabilem, ipsa præceps magnitudine, occasum vergeret ? nondum satis consilij habeo; ita hæc superûm in Orthodoxas Gentes, an illarum ignauia sit ; quæ ruentium é sæua barbari Tonantis manu, bellorum fulmina, verentur tantùm ne se attingant, prohibere ne conari quidem videntur, & recentissimum quodq; vulnus pauent, summi discriminis incuriosæ. Mista jacentium cum populis Regnorum cadauera, latè longeq; sparsas, & semper seris deflendas lacrymis ruinas Gentium, ac minima sui parte minores superstitis mundi reliquias, attonitis tantùm metimur oculis; quò pondus istud verget ? vbi ponet minas ? vbi se decumanus hic fluctus franget ? inter vasta Cycladum naufragia, luctantes inter ventos, tempestatesq; sonoras circumspicimus & tantùm formidamus. Vicina vndiq; ruit alto à culmine Troia, suis nos huc impulsura ruderibus, vnde ipsa cecidit : proximus jam ardet Vcalegon, jam destinata interminatæ armorum rabiei præda, primaq; Castra sumus : jam Annibal non ad portas, sed in Capitolio epulatur, impuni sceleris licentia, quam successus ipse honestam fecit, eousq; progressus: cum Nos illum votis aut consilijs, quæ timidi cauta vocant, debellari posse credimus, præterita, instantia, futura, pari obliuione dimittimus, verbis tantùm nihil vltra illa ausuri tentamus arma, & strenuam ignauiam exercemus: vel adulterinum pacis nomen, quæ arcano vbere bellum lactat, solitudinem vbiq; facit, & miserum seruitium tegit, segni otio imponimus : mira diuersitate Naturæ, quod ijdem sic amemus inertiam, & pacem optemus magis quàm defendamus. Atq; liceret saltem in communis perniciei solatium, vno omnes perire fato; sed ingeniosior malorum continuam seriem clademq; extendere, misti suprema pestis discordia mundi, cognatas demum acies, non habituras scilicet, vbi tantas vires exercerent, in sua armat vulnera : quæ Orbem interim premant, quandoq; distrahant, malis aliorum abuti pro solatio habentes, felicem per calamitates nostras barbari Caligulæ mucronem, cujus infecti semel vecors libido est,

vt

vt vno totius orbis ceruicem ictu feriat, vltrò irritẽt & exa cuant. Eheu! quouſq; hæc ſuum lambens ſanguinem impietas ferox? vbi bellum communi cũ hoſte ingruit, cognatæ parcit maculæ ſimilis fera: Vobis quæ trux iſta immanis ferri licentia? cũ ſuperba foret Babylon, tàm longæ potentiæ faſtu, & inſolentis fortunæ faſtigio deturbanda, cum Veſtris còëuntia diſſidijs atterenda creſcentis Lunæ cornua: placet bella gerere non habitura triumphos, perdere alios quàm venire in periculum malle, & ſtrepentes ſociorum gemitus, ſæpius prope Vos, quàm Deorum inuocantium opem in ludibrium vertere, prorſus circa Chriſtianæ rei buſtum, calcatosq; ſuperbo pede cineres, ſurere ſimul & laſciuire. Pariat vtinam potiùs aliquando, quod pridem parturit veſter animus, mentem omnibus vnam: irruat è pacatis exul Gentibus, illam Ditis laxatæ portam, vnde tanto fragore & trucibus minis erumpit, immoto cardine Ianus bella premens: Si quid cunctatione deliquiſtis, vnita fortiùs virtute, virtutem neceſſitate corrigite: ciuiles iras in communis exitium hoſtis vertite: quando vrgentibus rerum Chriſtianarũ fatis, nihil barbaro præſtare fortuna maius poteſt, quàm veſtræ infortunium diſcordiæ, & peſſimum frúctus publici venenum, priuata cuiq; vtilitas.

TIBI, perpetue Caſtrorum Contubernio, coronatos inter Heròas Bellatorum Maxime, Aſiæ ferocis Victor, Vltor Europæ, calamitoſa hæc mundi ſors, vt illi hactenus informis, ſic Tibi nunc fortunato ſeculi beatioris ortu, magnifica eſt, cum id non expectantibus repræſentes, quod vel expoſcere à Superis audax votum fuiſſet. Cum tanta illa clades Gentium & mundi pauor, bellua nec temperari nec reprimi facilis, quam ſemper enſis ira, & belli delectat cruor, Sanguinis Orthodoxi abyſſus, tonitru Martis immaniſſimum, quod fœta publicis malis Nemeſis, validiſſimæ indignationis brachio jaculatur, hoſtis quidlibet impotens ſperare, fortunaq́ dulci ebrius, & quem Orbis viribus potentiſſimum, nemo aggredi tutus poteſt, ruentis fortunæ nouiſſima libidine, ad omnem periculi aleam obfirmatus, omnia & ante aciem & in prælio expertus, Tua fortiſſima Dexterâ, & im-

memorabili, nulla quam rapiat dies, gestorum magnitudine fractus, atq; domitus, Orbis uniuersi triumphum, repetitis auctum victorijs, in Tuo cum cladibus suis triũpho ducat; & pacem, Te Vindice nunquàm ipsi prosperè lacessitam, nũc quoq; in exitium suum abruptam, damno irreparabili compenset. Cùm demum ita sanguinis Christiani pollutus diluuio Mundus, & omni dedecore maculosus, vt nomen pænè amiserit, barbarorum æternâ labe sibi redditus, pulchritudinem ac speciẽ excellæ Tibi gloriæ in immẽsum attollat & exornet. Tuas perenni inauguratas Palmæ manus, in hac stantis supra caput vicinia fati, miser Orbis felicissimè inuocauit, benè conscius Te vnum tantæ molis capacem, altissima æternæ Mentis destinatione, ac veluti adhibitis in consiliũ Superis, quasi fatalem cælo machinam demissum: qui nõ sibi, sed toti gentium Te mundo credens, & sua retinere priuatæ Domûs, de alienis certare regiam laudem esse, inuicto Regnorum prædoni superbos verteres funeribus triumphos, totq; damnatos fato populos è faucibus lethi eriperes; cùmq; omnes curam omitterent, Tu vnus malis publicis mederetis. Olim quidem multiplici experimento didicimus, nihil Tuo, quod nos gemmis coronatum Saturno seculum inuidere vetat, esse tutius æuo; quàm Duce Te bellum: sed nunc præcipuè incomparabilem Laurum Regiam, æquè Tibi magnificam, ac Orbi salutarem locupletissimè euincis: eũ per prostrati Orientis ruinam, eò fastigij Rem Polonam euexeris, vt ab vna propemodùm Natione, totius Orbis seruitiũ depelli posse; nec ad bella fugaces esse, qui pacem potuêre pati docueris: cùm aurei temporis prodigiosâ formatrice, nũquàm non triumphale ferrum complexâ manu Tua, Imperio sua forma redit: cùm inter desperatæ felicitatis abruptas hiantesq; lacinias, inter cruentam ferro laboratæ ætatis scoriam, nouum offulsit auro seculum, & fatalem ad Hesperum prona, post nunquam erubescendam satis Auroræ cladem, cunctis inopina reluxit Te victore salus.

Fuerat quidem eâ felicitate dignus, nisi Tu potior esses, Magnus ille florentis Lechiæ Regni Stator, famâ suâ validissimus, & æui illius Principum altissima cupiens VLADISLAVS

SLAVS; pandebatq; jam sinū, propitijs, si per mores nostros liceret Dijs, & venienti gloriæ occurrebat: finē vnius belli gradum alterius habiturus, post feracissimas Septemtrionis Gentes perdomitas, Orientem & Solymam, Bullionææ vestigia famæ, par animo grandi periculū prospectabat. Sed ô! quàm improuida tunc futuri mens Polona fati, remedia potiùs malorum, quàm mala distulit, quantò auidiùs ignauo questu pacem peteret, tantò bellum acriùs habitura. Capua illa temporum, blandumq; Tibur, circumfusos inter tumultuantis mūdi turbines, mollibus Ethesijs Togam Polonam lambens, mox tamen tristem Sardiniam daturum, adeò fortes natasq; bello animas, dulcedine otij pellexit; vt ab ferreo illo, æreq; triplici fusum pectus, inhabitante spiritu, modum erga se charitatis & temperamētum fortitudinis postularent: & appetere aliena, cum de proprijs non esset dimicandum, magn9 magis quàm vtilis conatus videretur. Mirum equidem dictu! quomodo tunc omnis Sarmatarum virtus, velut extra ipsos fuerit: cùm prospero Regnum in statu, solida domi quies, & aduersùs externa floruimus: cùm Nominis Poloni fulgor, in vltimas sese oras extenderet, illabenti otiosas manus dare terga fortunæ, ac tædio vel incuriâ futurorum, tuta & præsentia, quàm egregia & parùm periculosa malle. Quæ illa Patriæ trepidantis imago! jam Martio igne scintillātibus oculis, piaq; ac justa arma induto Principi obiecta! posse illi Regnum stabile & diuturnum contingere, si miti potiùs sub Olea molle senium, quàm durum in armis ageret, & omissâ spe longinquâ præsentē sequeretur. Sin orbis Tyrannū armis prouocet, quantam partem generis humani Polonos esse? vt quid cum Orbe terrarum, pro reliqui Orbis mænibus gerendum in Polonia bellum? Pauci quibus sanior publicæ fortunæ prouidentia, & dec9 Regium curæ plures tuta differebant. Ergò vastus ille, spesq; suas anteire parans maximi Regis animus, non ingemuit tantùm vt Romanus olim Corbulo, sed intra socordis paludamēti conchylium, ceu ventus intra retia, teneri se permittens, cum illo exuuias mortales, quàm augusti moliminis damnatos conatus posuisse maluit, fortem animum moras ignauæ pacis e-

C xo-

xoſum̃ cælo reddidit, & pulcherrimæ cogitationis telam cũ filo vitæ aureo rupit. Elati mox illo funere permiſti vrbiũ tot fauillis, Lechicæ fortunæ cineres, ac è naufragio magnæ ſpei, maximâ illicò procellâ ſáguinis erũpente, cũm ſuprema ſideris auguſti nocte, occidit, occidit ſpes omnis & fortuna noſtri nominis; ſummuſq; dies Hectoris idem Patriæq; fuit. Læſa nimirum, velut ex compoſito blandientium nobis fatorum patientia, poſtquàm oblatam vltrò felicitatem, ingrato ignauoq; ſinu reiecisse viſi fuimus, conuerſa in furorem, aureos Poloniæ dies, ferri indomabilis rubigine maculauit; tàmq; atrocis & diuturni belli acerrimam tempeſtatem in mollibus principijs non oppreſſam, quò diutius contineret, eò violentiùs, vno velut corriuatæ malignitatis alueo, graueſcentibus in dies malis publicis ſuperfudit; vt ſanè miretur qui neſciat, quomodo aut nos ad patiendum ſuffecerimus; aut illos qui facerent, non pridem tantarum injuriarum ſatietas cæperit. Ebrium illud ac petulans ſeruûm pecus ruſtica ſanguinis Patritij hirudo, fæculentæ Mæotidis Lernæâ plusquàm palude, duroq; veruecum àére, acriùs animata, præciſis præuſtiſq; ceruicibus in perniciem noſtram, ſuamq; ſtragem repullulans, triumphata potiùs quàm victa toties Hydra, effrons & minùs quàm triobolare caput, Rem Polonam in ima conuoluentis fati vertigine, ad ſublimes cogitationũ exceſſus raptum, auidâ ſpe infinitorum ſequax, atq; adeò verticibus coronatis æquari ambiens: Ille inquam rebellis, perfidiâ pluſquàm Punicâ acer, belliq; ferox Spartacus, ſerendæ in longum Cadmeæ ſegetis ingenioſus artifex, faciliùs inter ancipitia clareſcens; & ſi, facto injuria abſit, triumphalis ab aratro Marius, pigrum & iners reputans ſudore acquirere, quod poſſet ſanguine parare, longâ pace oblitis bellorum Dominis, quæ bobus ademerat imponere juga, cupiens, in ipſa plùs juſto amatæ pacis aurifodina, ſeruâ Cyclopũ manu, illud in nos belli jaculum procudit; quod ſolertiſſima Vladiſlai mẽte præuiſum; &, ſi non mens nobis læua fuiſſet, primo in impetu oppreſſum, nos omnino non tetigiſſet. Exundantem quippe illam ferocientis populi multitudinem, quaſi magnæ nauis ſuperuacua onera, & verè Titaniã

pu-

pubem, hostiles per Prouincias spargi, belloq; externo diminui, vt alienā potiùs terram, quàm cælum proprium oppugnaret; satiùsq; in hostes, quod pleno in nos rictu euomuit virus crudelissimū despumâsset, prudentissima sanè pars cōsilij paçisq; fuerat. Sed quò pulcherrima hæc, & è dextra fortunæ manu pendula felicissimi Principis cogitatio propēdebat, offusæ acribus præstigijs conniuentiæ, patens scopulus & vorago præcipitij visa; formosa supernè apparuit Syrē, vbi in Scyllam incidimus, nec vitauim9 Charybdym. Cum à longe Pelion & Ossam, vastosq; periculorum montes inanis trepidatio parturiret, intra viscera ipsa ausuros in Iouis ire domū Gigantes aluim9 : & archipelago huic sanguinis, quod à Thracia Propontide formidatū, tot annorū spatio, naufragas dehiscentis spei tabulas, & diu luctatas emersiones miscuit, turbida Borysthenis ostia, fontem primigenium dedêre.

Quodsi non aliam, TIBI OPTATISSIME REGVM, fata viam inuenisse voluerint, nisi vt retroacto acerbæ sortis cumulo, hodiernæ ex Te felicitatis, Tuæq; ex illa gloriæ vicinum cælo acervum locupletiùs exaggerarent : vt post amarum sinapi, & felleas temporum vices, Hybla gratiosissimi tecū nectaris, & gemmei ambrosiarū imbres delicatiùs saperent ; post excussam sæui furoris noctem, læsosq; atrâ caligine dies, meliùs cum vultu Tuo certaturi niterent soles: post immugientis vndiq; dolori publico tristis procellæ murmura, & frenatos carcere ventos, optata tranquillæ pacis halcyonia, & diuitem bonorū copiam grandinātes Fauonij amæniùs riderent : vel pertinax adeò, longū ac immanè detonātiū malorū rigor, hâc mercede placet: & ærumnarū illa atrocitas, nostræq; meritū patientiæ, inuentū est minùs habens: si cùm illabentis tecum felicitatis beneficio, & eâ, quâ læti per Te fruimur, incredibili victoriarū famâ veniat in staterā. Egregia profectò hæc, & Iouis cerebro prognatis mentibus digna Superûm industria est: non fortuito fatu, aut vulgari conceptu, sed lentæ spei scrupuloso molimine maxima quæq; producere: nec temerè aggredi; quod cōsummari nisi à Deo potest, futurū Naturæ miraculum sine

miraculò non formare, pulcherrimò cuiq; partui moræ speciem circumdare; ac tum demùm cum ipsa adamantinos figit clauos necessitas, & mala fortuna obstetricem agit, ostentare primò, dein; moræ pretio differre, ac tandem saluti & felicitati publicæ imponere; vt post tædiosos anxiæ spei cruciatus, exactam gustûs publici censuram securiùs subeat, interq; læuo sidere meantis communiū fatoru m orbitæ intricatas ambages, intaminatis fulgidū honoribus suæ gloriæ ac fortunæ jubar, clariùs æquè ac opportuniùs euoluat. Cùm alternis diu motibus volutata, ac ipsis tandem evulsa abruptaq; cardinibus, dementibus se ruinis paret, totaq, ab imo concidat fortuna Gentium; cùm inter pollentis imperij fragmēta, artusq; laceros, & infelices reliquias, mistis Regum & Regnorum funeribus fractus illabatur orbis; non degeneres, & impositas non inflexâ ceruice ruinas ferre nati Atlantes surgūt, qui labantem simul publicā attollant, simul suam probrosis publicæ ruinis altiorem, solidis radicibus fortunam figant, benè firmato gradu, quamuis centimano Briareorum assultu impelleretur, non mouendam. Monstra potiùs illa hominum, ferarumq; portenta, & bissenus laborum Zodiacus quàm sator Deorū; post cōtinuatum expuncto die binoctiū, triumphales inter elisam anguium ferociam, magno Herculi cunas dedit: vt toto simul concisa mundo pericula, & omnibus illis majorem oppugnatus Orbis vindicem habuisset. E proximo Romanæ Rei naufragia Coclites & Cleliæ emerserunt, arsitq; Porsenæ in foco, Scæuolæ, illustris dextera; cùm sinistra fortunæ manus, acerrimâ belli face, rogum focis Patriæ in cineres ituris supremum accenderet, fatisq; tristibus præluceret. Captiuam propemodum in Tarpeia Libertatis Arce, Terrarū Gentiumq; Dominam fieri oportebat: priusquàm alter ille inter spes conclamatas, collapsæ Vrbis Conditor, plebisq; Parens Manlius, & publicâ quàm suâ fortunâ mæstior Camillus, duplex veluti, erigendæ Romanæ molis Polus multa illa varij miracula fati, respicientium ab alto Superū clementiori calculo legeretur. Et domitas aceto rupes, Alpiumq; formosa vulnera, vi quàm sonitu majore transiliēs

Puni-

Punicum in Annibale fulmen, totam priùs Saturniam cõcussit, Latinasq; tot jaculatum arces, ipsa altæ mænia Romæ terruit: quàm geminos, duo fulmina belli Scipiadas, cladem Lybiæ, mitior afflictis Italiæ rebus inclinatio Numinum excitâsset. Diu, & nos malè, vicinis conditos Turcis Sarmatas, & tristi feraliq; loco damnatos, inter hæc seculi exesi ferramenta, & non vno sæpe fatigatas malorum incudes, sub malleo & ictu positos, coniuratus frendentiũ vndiq; malorum turbo, durumq; semper fatum, cum sæuiret & parceret, ex æquo, malum, huc impulit: vt, quid jam miseris deniq; restaret, quæ adhuc omnibus jam exhaustos casibus omniumq; egenos, exitijs positura modum, tempestas premeret, metu simul & admiratione maius esset. Inhospitalem certè Caucasum mente efferata indutus, totus ex marmore riget, qui decretorios dies illos, extremamq; Lechiæ malorum crisim, grandia patientiæ documẽta, impenetrabilem agitans intra animum, temperet à lacrymis? Cùm vel atrox bellum, vel sterilis aut sæua pax, aut necessaria magis quàm æqua, bella, sine hoste; diuisiones ne ipsis quidem qui fecêre laudatæ, remedia periculis pejora, circumfusæ mortis terror vbiq; obambulans, & pejor letho timor ipse lethi; pertinax prorsus nocendi nobis fatorũ voluptas, supremum funus tristemq; lamentabili Regno næniam meditaretur. Cùm Dij quoq; noui, ad opem ferendam rebus dubijs accerserentur, nec curæ illas haberent; omnia quassata & cadentia, pessum irent; difficileq; esset perire volentes inhibere. Laborarûnt hæc omnia in Tuam, MAXIME REGVM, gloriã; per damna, per cædes, ab ipso illum Tibi animum duxêre ferro: qui diuino quodam & cælis delibato spiritu afflatus, vnica, fatorum mora, fractiq; Regni columen, & munimẽtorũ compẽdium, emorientem seculi felicitatem, solido ac vitali robore vegetaret; violentis strenuam inijceret manum fatis; & cũ diuersis animorũ motibꝰ, trepidarẽt magis, quàm consulerent vniuersi, solus impauidus metũ poneret; & diri mala pectoris, omnia audẽdo, temerè nihil ageret; quæ rarò simul hominibus concessa sunt, magnam fortunam, bonamq; mentem circũfer-

ferret; Patriā beneficijs vinceret; & cùm propè, ne à Dijs quidem immortalibus quod precaremur, superesset, rimas hiatusq; omnes, quib9 lassatos agoniæ nostræ anhelitus, irruptura mors vltima fuerat, non minùs Augusti VMBONIS, quàm vastæ mentis obiectu circumuallaret: talem prorsus publicam felicitatem & gloriā faceret, qualis sua vis, virtusq; esset.

In ea, conjungentibus fatis Tuæ Gloriæ, Patriæq; Fortunæ horoscopū, nat9 tempora, quibus firmare animum expedierat constantibus exemplis; ita ad hoc ætatis à pueritia fuisti; vt cum chalybe quodam loricatæ mētis, ceu in officina Sicaniæ cusus, aurei seculi architect9, ferream amplectereris vitam; quæ ad puluinar mollis otij somnolent9 Endimio, avt Paphiæ sandalijs ignauus Adonis, miserias vocaret, voluptati haberes; incolumitatem ac decus eodem loco poneres; semperq; velles, rerum Tuarū præcipua, ad famam dirigenda. Reptâsti per Scuta Puer: C L Y P E-V Sq; ille defensi nunc cælatus imagine mundi, perennaturæ in Te felicitatis publicæ lapsa cælo Ancilia dedit: qui tamen pacata Numæ otia perosus, atq; omne belli decus Tibi retinēs adamatinū illud Mulciberi opus, ita geminato non bracteatæ virtutis artificio impenetrabile fecisti; vt istis, omne decus & tutamen ab Armis, Polona, ad cordis vsq; coronati delicias haberet semper Aquila: Tuq; justiùs hodie, quàm Græciæ olim Themistocles, protecti Terrarū Orbis Murus esses. Oppressere in Te annos facta: quos non tàm diebus quàm victorijs distinxisti: nullum planè mensem non Martium, nullam sine linea triumphali diē, nullam non secundam Patriæ horam, imò vitam integrā, puram sceleris, cum morte inter Martis pericula diuisam, hactenus vixisti: futurus vel in horas victor, si æquè celeriter clades suas multiplicet oppressa communitatue hostilitas. Tempus, quod alijs per ostentationem, aut ambitum officiorum transigitur, fluitq; insolenti luxu; Tibi non Tuæ tantùm ætatis populum cogitanti, ad labores & pericula placuit; posseq; intolerabilia quæuis viribus vinci Tuis, didicisti ferendo.

No-

Noxæ plerumq; Herorum filij, imbelles ab Aquilis colũbæ, purpuratæ simiæ; Ioues illi extra fulmen, & Ganymedum poculis immersi, expectorati in gynecæo Achilles, aut latentes intra testã suam cochleæ, & in publicũ testudines; quarum frigidas æternoq; gelu rigentes animas, amor non vrit Patriæ; non exercitio vires, viribus animũ firmare; de bello inter conuiuia tantùm loqui, nec quidquam facere, quod hominum oculis transilire liceat: aut fœdas inter voluptates, prodigamq; rerum luxuriem, inanem & meritis cassam gloriam ardere, curis luxum obtendere, nullâ in publicum curâ opes priuatas lacerare, in theatris & concionibus, quàm in acie splendidiùs apparere, delicatas flagitijs Domos cõcutere; aut deniq; vt ignaua animalia, quibꝰ si cibũ suggeras jacent torpentùe, nihil aliud quàm impleri desiderantes viuere, & tineas tantùm inertes pascere, ac inter marcidam otij æruginem turpiter absumi. Disparem Tu omninò super vestigia gloriæ firmâsti gressum: in pace decus, in bello præsidium Patriæ, robustâ cogitatione meditatus, magnæ diras fortunæ comites, vitæ laxioris illecebras, ceu dulci cantu dolosas æquè ac dolorosas Syrenes, intactus Laërtiades transijsti: per tela, per ignes, constratâ spinis & sentibus viâ, ampla meritorũ Olympia decurristi; nec tantùm ex malis publicis sensisti, quantũ ad res priuatas pertineret. In illo, totam perpopulantis Patriam Gradiui horrendo strepitu, deletæ Gentis funera, vltum iturus, dignas Ioue concepisti iras, quod nõ maturiùs longa belli jeiunia, lauta illa Martis bellaria Tibi soluerint: putabasq; non leue victricium armorũdamnum, hostes Tibi hactenùs defuisse. Tulisti, robustus acri militiâ, ad omnem prælij arenam benè præparatum pectus, & semper te expertum, plurimũ audaciæ ad pericula capessẽda, plurimum consilij inter ipsa pericula: familiarem quõdam Pompeio, Tibi strictiùs cognatũ, quem hostibus incuteres metum, circumduxisti; catenam bellorũ omnem, quã dandæ in vincula Polonæ Libertati, seruilis armorum rabies ingeniosè texuit, victoriarum successu interrupto felicissimè secutus; & eâ vbiq; indole, vt jam tùm appareret,

Polonum Te Regnum, opulentius quàm quod accepisses facturum. Mihi siquidē, R E X, vt primùm omnibus merita maiora præmijs, struere Tibi cæperūt initia causasq; Imperij, tàm diuturnâ & reciprocâ procellâ remeántem in nos æstûs Martij Euripum, & suppositis cineri doloso ignibus recrudescentia incendia; alibi famam in arcto & ancipiti stantē, & regnum Venusio bellum nobis relictū: alibi hostes justo triumpho domitos, aut illorum fraudē in perniciē ipsis versam, captosq; dolo suo Pelasgos; aut volētib9 populis jura data; interdū fortunā magis, quàm virtutē, res dubias deserentē; & majore animo tolerata aduersa, quàm relicta: aliquando pacē & concordiam defensam palàm, disturbatam occultè, nec satis rationis in armis, curiosiùs euoluenti: Te verò, in omni hac variantis insaniâ belli, justum & tenacem propositi in Rempublicam amoris, nullo aduerso Marte fractū; majorem semper, quàm cui posset fortuna nocere; inter abruptā contumaciam & deforme obsequium, pergentē iter ambitione & periculis vacuum; cùm omnes gloriâ anteires, omnibus tamen carum, vbiq; Pium, Fortem, Augustum, reputanti: illud animo penitùs insedit, Te, nihil aliud, quàm quod non imperabas, moræ, ad saluādam Rempublicā habuisse. Nō mea hæc de Te priuata, nec mendacij quærens pretium æstimatio, sed publicū Orbis decretū: imò vel ab ipso nunc, Tui solius Augusti Nominis triūphalibus auspicijs prostrato, déditoq, hoste, cū seruili herba porrectus sinceræ laudis fructus: cùm Te Magnum & Clarum satis antea; post incomparabiles tot victorias, Majorem & Clariorem habere, magis, quam mortalē vereri; neq; ex vano credere, Tibi aut mētem diuinam esse, aut Deorum nutu cuncta portendi.

Habuêre feruens quoddam jurgium, & pulchram colluctationē Virtus & Natura, vtra plus in Te, Populo Polono cōferre posset? cū illa, quæ in Principe exambit Solium, quæ diuisa Augustos efficiunt, in Te vnum certatim omnia conijcerent; quidquid in alijs ad summū pertigit, in Te supra excessum vsq; proueherent, nihilq; negarēt,

quo

quo non vel retrò coronata Regum exempla vinceres, vel omni posthac nepotis per orbem Sceptri æmulatione major esses. Altis inclytum Gen9 titulis, & vtroq; Iouem de sanguine ducens, inter Heroum Laureas, Principesq; in Regno Curules, Augustus Tibi multo murice strauit cunas, in acie Ajaces, Quiritum in Collegio Summates Curios, celsissima vetustæ Domûs in atria, longâ serie deduxit, & quidquid Polono in cælo illustrissimum fulsit, natalibus id totū fascijs inuoluit, ac Nomini Serenissimo prælusit. Diua Magnorum SemideûmNomina,& radiantes post funera vmbras altum non repeto: cùm vel clara illa Gemini signa Tyndaridæ, Augustus PARENS Tuus, & Inuictus ex Matre AVVS, insuetā tanto splendori palpebram obruant absorbeantq;. Ille Maximus in Toga Nestor, cruentam Bosphori tempestatē, mella Attica stillantis Suadæ e rudito torrente gloriosé ac feliciter emolliuit. Hic ex vulnere, plus gloriæ, quàm sanguinis ad posteros effundente mortuus Epaminondas, illam morte intrepidâ peperit sibi gloriam, stantem mori oportere Imperatorem. Vterq; excussæ orbi pacis, violatiq; fæderis justas ab immani Gentium raptore vindicias, vno velut sub intuitu in Te produnt. Hæc demum ad omnem magnificentiæ amussim castigata, digna Priami velut imperio species; Animi, qui pulcherrimum istud Augustal metatus est, genuina imago. Facies ista toto orbe secunda aureæ Olympi glebæ nobilissima portio, & extremus veluti Naturæ sibi indulgentis conatus: dulces oculorum minæ, duplici suspensum iride placidumq; serenâ fronte supercilium: torosum, vastæq; mentis latifundio insessum pectus: omnia supremæ dignationi paria, & quæ Sarmaticam, fauore quodam erga nos Deorum, si non insedissent, Regiam ex se ipsis circumtulissent Majestatem. Hæc, tot tantaq; liberalioris Naturæ dona, nō minore auxit ornauitq; in Te munerum suorum apparatu, prodiga vsq; ad prodigium Virtus. Sine symbolo mentis, & ænigmatum nubibus renidens, nec vt sensus suos penitiùs abdat, in ambiguum implicatus; seruantissimo æqui animus, nuda veritas & Iustitiæ soror incorrupta

 fides

fides; non plus dignitatis, quàm fidei habens ſermo, gnara Deorum muneribus ſapienter vti prudentia; par oraculis, & ſemper tripodem diuino promens ingenio conſulendi vbertas, incorrupto Principis honore, ſuis permixta Ciuib9, comitate & alloquijs officia prouocans, potens ſine faſtu, Maieſtatis cum humanitate temperies; fortunam omnē & inexorabile fatum gerens in manibus fortitudo, vtilis imperantib9 clementiæ fama, fortisq́; eadem & mitis manus, conceſſa penitùs vni Tibi omnium ſincera ſors bonorum, & illæſæ vitiorum confinio virtutes.

His Te, ad obeundam ſummæ rerum adminiſtrationis Prouinciam, palmaribus adminiculis non perfunctoriè imbutum, & majoribus in dies animum aduertentem, ita inter pulcherrima geſtorum decora, & frenatam ambitioſæ gloriæ cupiditatem, ex pari cum Dijs viuentem, vt tacitus eâ de Te opinione, quam noſtrâ ſponte cōceptam animis haberem9, facilè contentus eſſes; & quod omni imperio ſupra eſt, Sceptrisq́; vel id ipſum in Te dignum fuit, Tibi ipſi optimè imperantem, blandè veſtigauit, & vltrò ambijt tituli majoris honos. Claua nimirum Herculi; & Scipioni Lechico, Scipio Regni datus: differentibus interim noſtram potiùs quàm Tuam felicitatem fatis, arduumq́; cūcta regēdi onus, tùm, demū in auguſtos humeros reclinare volentibus, cùm ſaltus Rhodius periculorum, dumiſq́; & aculeis horridum diadema, ad vulnus potiùs quàm coronam, heroicum caput poſceret; & Secures, potiùs Faſces Regij, ab illo tantùm ſecurè tolli poſſent, qui nouiſſet, vnicum tunc decus Principis eſſe, lapſis rebus ſuccurrere; nos verò quereremur vt omnes, Imperium Tibi ſerò datum. Quanquam iſtā Tu demum, regalibus ante ſolium geſtis, lenem ac laudabilem feciſti nobis moram; cùm id continuò ageres, quæ nec in Principe deſideraremus; ſolùmq́; Tibi, ad vitam factaq́; Regia, nomen & inſignia deeſſent. Fluxerunt non tædioſa nobis, inter tot Laurearum amænitatem tempora; & nunquam in Te heroâ virtus, non coronata inceſſit; cùm, ſi quas Bellona vnquam texuit, magnanimarum hæderas frontium, regio diademati præ-

mit-

mitteres, nec à liberis duntaxat Electorum Lechiæ votis, sed vel ab ipsis hostibus, post Lauream ad Coronam iturũ Caput, deposito capite adorantibus, Regni suffragia mereris. Ire per singula Martiæ Virtutis Tuæ opera, quæ totũ stipendiaria signis Tuis, clarauit per orbem fama: illam victore vbiuis gladio æternitati plãtatã trophæorum syluam, quæ totam Thymbræam domum, Musarumq; recessus, sacro quodam horrore circumvestit, & velut Dodonæum inuiolabile nemus, profanum dedignatur opus; modis tenuibus personare, non opis est nostræ. Premet illam grandiore cothurno, quæ sola tantæ mensuræ capax in tutum laudes tuas recepit, vniuscuiusq; Martio in Campo gressûs Tui pedissequa immortalitas, & majora in Te, quã quæ hactenùs per memores fastos; heroibus obnoxium genus eruditorum fuligine lucubrationum inundârunt, non comparandæ fortitudines, prodigia veriùs quàm exempla posteris proponet, ac suspensam illorum fidem, non facilè intricatã dubitatione euoluet; an non in Te seculorum acta, & orbis vniuersi historiam lectura sit: qui nunc etiam seruatus assertusq; à Te, justæ factorum commendationi, non sufficit totus.

Equidem quæcunq; irarum hostilium causæ, spesq; ex malis nostris, seu Græcos perfidiæ sub larua veteratores, & è vagina pacis stringentes arma sicarios, illã Marmaricis Tigribus ferociorem, multorũ capitũ duræq; ceruicis belluã, supplicij pariter ac veniæ insolẽtem, frena æquè ac mulcentes manꝰ mordere solitã, è rusticis mapalibus pauperumq; tabernis, in ipsum, securæ obsequij, diuq; infame periculũ, nolentis intelligere Libertatis sinum, jaculatæ sunt. Seu ferus solo juxta ac cælo graui, centum non leuis populis metus, Moschorum Taurus, Lycàonio ab axe, & immanibus Erymanthi spelæis, sæuas Phalaridis iras minitatus, suoq; tandem in juuenco mugiens Perillus, infame liberis ceruicibus intentauit jugũ, Seu rapto alieno scelератus viuendi amor, venaticos Turcarũ canes, fœdissima ventris proluuie, vncisq; manibus omnia trahentes, absorbentes omnia, Scythicas Harpijas, in ipsũ Aquilæ Polonæ

 jecur,

jecur, fæcũndaq; pænis viſcera impegit. Seu impare coronarũ numero gaudere nolens, totum ſpebus auidis orbem deuorandi, inſana, &, cum cibum pararet adipalem, ſaliuam glutiens crexis, aſtutamq; ſub pelle Leonis vulpẽ fouens Regni protegendi prætextus, majorq; quò plures ſunt potæ, aquarum ſitis, è Finnico Codanoq, ſinu, ſciſſarũ primò cauernis mentium illabẽtem; mox toti Vandalo grauem, omnia ſuperbo Tridente quatientẽ; nihil mediũ inter ſumma, aut præcipitia meditantem Neptunum ſuper fudit. Seu deniq; illa hæderas inter Poloniæ cupreſſum ſomnians, ſtolidè ferocis ſpei temulentia ab aureo Hungariæ pomo, mala ſua captantem apud nos Tantalum, mõtib9 & ſyluis ſtudio jactauit inani. Riſiſti hæc omnia, Salmonæi velut tonitrua, fortiùs vbiq; tonans Iuppiter: nulla non triumphalis Tibi in hoſtes via, à Tuo planè volentes enſe mori, quòd magna dares victis, tantus ſolatia victor. CLYPEVM in Auguſta Domo, magni ſemper geſtamen Abantis, Patriæ ſolùm integumento ſumere, Te ipſum, interrito lethi animo, ſecurum fati, lætumq; laborum, contra ſumma periculorũ reuelare, IN HOC, fatiſcentem Lechiæ fortunam, viſcinarum lacrymis, an Sardonio riſu Gẽtiũ, ſepulchro, inferẽdã intriũphalis gloriæ Capitolia attollere: CVM HOC manũ apertis odijs armisq; depellendis prõptã, animũ obſcuris, eòq; ineuitabilibus dolis impenetrabilẽ gerere; quæ neq; dari neq, accipi ſaluâ Republicâ poſſũt, caſſa omnia habere; deſideriũ ac ſpem vitæ, quæ plerũq; magnos animos infringit, ad publicæ, duntaxat ſalutis anchorã religare; Imperatorem exemplo & imperio agere; idem virtutis author, ac teſtis eſſe; ipſâ deniq; Nominis inuicti famâ profligare bella toties videbâre.

Quid reliqua ingentis animi documenta, differendo minora vero faciã? quid lucente Sole ſtellas in cælo quæram? cum illa ipſa, tot olim ſeculorum cogitatio ac votũ, tot deinceps miraculũ & inuidia, inquies Draconis Aſiatici remorſus, auditusq; Medis Thraciæ ruinæ ſonitus; Illa, quâ nobis, plus quàm credimus, actũ eſt: quæ Cannarum & Thraſymeni memoriam, in Dacico dẹmerſit Tyra: quæ

pro-

propemodũ ſeculi res. in vnam feliciſſimæ dierum horam cumulauit, CHOTIMENSIS LAVRVS, eodemq; in bello diuerſus hoſtis, & multiplex triumphus, æternos, per ſecula ituro Nomini peperit honores. Credo ego, (quis enim ambigat?) credo, geminum in campo & foro theatrum illud, heroicæ virtuti Tuæ, à promouentibus illam plùs vltra Superis, & quidquid ſumma petenti obſtaret, inaſſultum æquè ac ruinam impellentibus, ex induſtria fuiſſe excitatum: ne bellicis tantùm laudibus, incõparabilem Summi titulum obtineres, non minores dediſſe Tibi pluſquam ex vtroq; Cæſari, innocuos ſine cæde triumphos: vt labor æquè ac liuor improbus, in vincula Tua datus, eſſe vbiq; Dei gratiam cum IOANNE euinceret; nos verò tantùm vni Tibi debere in Rempublicam meritorũ, quantùm à primo Patre Conditoreq; Lecho, Principes prætenderent vniuerſi. Permitte Victrix tunc hoſtium, & captiua Imperatoris Tui Patria, vtrum ex his glorioſius Tibi fuerit? non recentibus vtiq; odijs, nec gliſcente adulatione componere; illaq; atrocis ſimul belli, & ſæuæ pacis exempla, non vt refricanda vulnera, ſed quaſi obductas jam callo temporum cicatrices, ſine doloris ſenſu attingere: vt cùm judicia noſtra, malignitas & inuidia tardauerit, ſine ira aut ſtudio, quorum cauſas procul habebunt, veriora dicturi legant poſteri: quomodo virtutis rigidiſſimo exactori, ac Virgini verè animo, acerbiſſimos, nigræ & degeneris famæ ictus, non in marmore læſus, ſcriberet, ſed dulci ſpongiâ lacrymarum, publicæ magis quàm ſuæ fortunæ indolentium, ac effuſo, vt vel ſic erubeſcere didiciſſent, inuerecundis vultibus hoſtili ſanguine aboleret, vulnera in oſcula mutaret, in illo perſequentium furore, qui vel Titos aut Veſpaſianos, in vindictæ, vltrò ſe, quod maius eſt, inſinuantis ſtudium rapuiſſet; ædificatos Tænaria ab incude odiorum arietes, in amoris vellus aureum refingeret; è virulentæ malignitatis poculo, ſalutare morbo publico antidotum biberet; ac ægræ Patriæ ſalutarẽ propinaret. Fuit, fuit! quod, ignota rapuiſſet vtinam ſub nube vetuſtas; vel ideò tamen, quòd magnæ offenſæ, & majoris gloriæ auſpicium

Tibi REX fuerit, Polono sub corde referendum tempus: cum inter hostilis vndiquaq; belli atrocia, interna demum pax, irrito diu & specioso nomine iactata, illud triste chaos indigestaq; moles, suum cuiq; nolle Respublica, in turbas & discordias plurimum robur daret: cùm post res consilia afferendo, quæ iussa fuerunt vetando, quæ vetita jubendo, omnes præciperent, quod nemo exequeretur: cùm crebrescentem hostis proximi famam, captũ in Cameneco omne Lechiæ propugnaculum, duriores vel illius Marpesiâ caute animi, non vt mala acciperent: seruandæ Patriæ prætextus verbis magnifica rerum vacuâ inertiæ extenuatione, ex filis araneæ texeretur: solumq; periculorum remediũ, si non intelligerentur. Acuebãt dedita Cameneci saxa seruile Tyranni ferrum, quo in illis Libertati nostræ sepulchrale marmor incideret: omnemq; cum rupibus illis dura immanitas mouebat lapidem, vt collecto velut impetu, supremi in nos pondus mali deijceret: cùm & ipsi in caput nostrum, sponte, quod nos premebat, pertinaci mobilitate volueremus. Piscabamur in turbido Vistula, non transeuntem calamitatis successum; malorum, quæ nos circũfudere obliuiosam Lethen bibimus; ad malè sub columbæ nomine gementes campos, cruenti in mutuam lacerationẽ vultures conuolauimus; inimicis ineptijs, & verbis, ad summam caueam spectantibus, Libertatis sacraria profanantes; frigido ad focos pro Aris zelo personati, fluctuantium studia in contraria animorum ebullientes iras, seueris follibus turbantes, dum componere videbamur, oleum igni, non gelidam suffudimus: ista quæ meliorum capitum benè mansâ censurâ vapulabant, pessimum inimicorum genus, laudantes; illa quæ salutari boni publici succo, subtiliùs palatum optimè digesserat, in longam fermentationem trahentes, aut in minutal maleuolentiæ vellicantes; in cordatos & insolentes contumeliæ animos, digna nobis ipsis probra jecimus, ruinâ illos Reipublicæ oppressuri, cum aliâre non possemus, eaq; in pace ausi, quæ bello vix euenirent.

Sed mihi à confragoso hoc fati calamitosi diuerticulo, in quo spinas Polonæ gloriæ relegisse, non carpere voluit,

nec ita acumen figere vt pungeret, ad elogij Tui campū redux calamus, subitā admiratione titubat: quibus Te, in illa Phrygiâ feraq; fatis, & vix plagis meliore, non in tempore & loco desipienti sapientiâ, non terrena sapere doctū, cælo laudibus æquem! Contra fortunæ vela, immortalib9 antefactis nutritæ spei insistens, iuisti nouus eoq; clarior Poloniæ Tuæ Curtius, quòd non præmio periculi, sed ipso periculo lætus: quòd nō manibus lilia plenis, non puniceos rosarum imbres, donaq; aut fruges, sed loliginis succū, palearū ramēta, & liuidos sales in Tuæ sepulturam viuidæ virtutis spargerent, tribulos ac zisania, suffocandæ bonæ segeti supereminantes aduersarij. Iuisti in illā diductis immanè faucibus fato publico inhiantē abyssum, opima integritatis nostræ non victima, sed Hecatōbe: Cùm vni tunc Tibi per se bella placerent, & ab intimo Superū arcano, ad illos armorū animorumq; conflictus, bonas artes adferres, occupasti non excepisti pericula: vt lymphatis degeneri quodam spiritu, laruatam Cyrcen, nec probi coloris vultum, festucam ignorantiæ recti, & inuidiæ lippitudinē detraheres: maluisti vt Te circumspectus hostis metueret, quàm nimis consulti Ciues laudarent: delectauitq; Te malè parta opinio, quæ spretam in tempore gloriam, cumulatiorē reddidisset. Extinguere hostē, maximam esse Ducis, seruare Ciues majorē Patris Patriæ virtutē benè gnarus, hosti non nitidos, militiáq; per oppida expletâ quæstuosos, & sine pectore milites; sed vel ipsis Gentiū nominib9 vix fando auditis formidandas Triariorū nubes, concussæ freti dominatricis Cretæ, gloria sine mēdacio jactanti, & à deuicta Cadia, vt illum supra humanæ ventos superbiæ tumens sufflabat ambitio, Poloniæ Candidato, quaternas intra quindecē dies Laureas, ac tandē illam, fide, inuidiâ, admiratione majorē, nunquā satis famâ suâ laudatā, vota omniū & gaudia feliciū superfluentē victoriā, cōfessionem erroris Ciuibus extorsisti. Satis Tibi gloriæ in omnem vitam, (nisi sacra illius cōtinuo vrgeret fames,) illo die; satis illo triumpho comparâsti: genitumq; sinistro fætu, & profundâ Styge toxicatum liuo-

rem, nigros corrodere citiùs vngues, quàm imprimeret, jussisti: vt quæ in Tuo illimis animi Sole, maculas quæsiuit, sibimet ipsi vindex inuidiæ palpebra, vltore perstricta radio, lacrymis audaciā castigaret; crescentē per incrementa Tua felicitatem publicam, ægris oculis introspectam, iniquissimè diminui voluisse. Sic adultum Phæbi jubar, frustra ægra sidera formidant, cum quidquid splendoris habent, ab illo luminis fonte hauriunt. Sic nocturna animalia, cæcus vespertilionū error, diē splendidū auersatur, ad ejus ortū latibula petit, cū Parētē sibi Solē fuisse nesciat.

Et quando tādē, post legitimā tot certaminū gloriam, non tam laboris Tui propè infiniti brauium, quàm nostri jam saniorem mentē professi voti optatissimam coronidē, Regalis Laureato vertici imponet corona? quamdiu in baltheo sudantem vultum, purpura non absterget? ensem nō permutabit in Sceptrum? & cataphractam Majestatem, triumphalia per clades hostium strata, solio non inferent? illi non quæsitā meritis auro virgati paludamēti superbiam, & velatum nomine magnifico otiū, sed cūctas amore Patriæ leuiores curas, & firmissimū aduersùs fortuita capessēdæ Reipublicæ animū, plenâ Sarcinâ illaturam. Vinci Te hîc, vbiuis Victorē, & in pulcherrimo Libertatis triumpho Cunctatorē in vinculis IOANNEM duci, non in vltimis laudum fuerit: quanquam tunc etiam, quæsitam multo labore triūphandi de Te gloriam, nouâ trophæorū insolentiâ strauisti, Magnus sine clade Victor, cum illos in subditā Tibi Principi venerationē animos captiuos duceres, qui suo anteà carpebant, dum capere non possent, liuori palmā; ignari, quòd hoc ipso, coronam Tibi necterēt: & quam maligno premebāt fumo, clariorem gloriæ lucē facerent, magisq; verticalē. Cum dissolutione plerumque sani moris, quā nec regalis Fascia, in affecto vertice, tutò stringat, diuinis in terra vicibꝰ innexos Fasces prehēdūt alij: rebusq; secūdis exultāt nimis: & cū in modicis, aut medijs, benè coërcitos affectus tenuêre; repente diuites, Regnoq; fulti, plura quàm fas est petūt, multaq; ex his, quæ agūt, veniam desiderāt: Phàëtontes equidem Regno-

rum

rum, quibus vero nomine, pæna, non honor, est Sceptrū: & malè desideratorū Eridanus finis. In alijs præter aurū plumbeâ in fronte coruscat nihil, altoq; præditum Solio Regis nomen, humiles abjectæ mentis quisquilias, onerat magis quàm exornat : & quod tenui sub angulo, paruisq; in tectis meliùs latuisset, stagnantis ingenij hebes vitiū, in fastigio Throni, excusso populi naso luculentiùs patet; suamq; & publicam gloriam è sublimi præcipitat. Sceptro digniores alij, nisi illud capessant: vt generosa animalia, si clausa teneas, virtutis, quæ regnum meruit, subitò obliuiscuntur: duris & asperis, quibus, cùm in Templum Honoris irent, instratam Virtutis semitam calcauêre, infractū animi robur, in mollibus frangunt : & velut emissa jacula, ad vnum modò ictum vigentia, torpent, vbi metam attingunt : ad quæ illos præclarè facienda, magnificum præmij calcar impulerat; ea, vbi jam pretium non vile laborum, Trabeatum inaurauit pectus, tanquam obtentâ mercede, non ampliùs tentāda relinquunt; & vix Principes prodiêre, Principes esse desinunt: ceu ephemeri cælorū ignes, qui simul fatuā lucē generāt, simul soluunt. Alius Tibi omninò, REX, indefessæ virtutis trames: qui postquā Serenissimi Nomen, cum Regalibus titulis induisti, Sol Regni Tui stare nescius; quē in alijs fæda assentatio, luci Regiæ circūfundit, ex merito audis: Non enī ignauiâ magna Imperia cōtineri apprimè doctū, alia ex alia Te cura fatigat, vexatq; animū, & mobilem ad cōmune bonum prudentiā, continua velut gyratio rotat & circumagit. Vbiq; limpidū gloriæ lumen vibras, innubem ac validam Reipublicæ fortunam īfluis; incessuq; ipso prodes; nec leuem metuis Deam, cujus lubricū ex vitro globū, incōcussâ virtutis basi, in perenne Tibi famulitium roborâsti. Ipse Tibi apex pro vestibulo; & laticlauio superinduta Purpura, roseo velut ostro, secuturæ illustriorum operū luci præfulgens aurora fuit; nec ex vano promittens plùs à Te haustuum splendoris Serenissimum decus, quàm dedisset : coronāq; augusti Capitis, illis præcipuè gemmis, quæ cruenti sudoris guttæ sūt; nec tā auro, quā ductis meliore metallo moribꝰ radiātem.

Vt mihi hîc immẽſus, in Iſthmo meo, laudũ patet Oceanus! vt ipſa inopẽ facit copia! cùm Virtus Tua, ſẽper in incremẽto, noſtra vis jam in fine eſt: & creſcere pænè immẽſum opus ſentio: quòd prima quæq; proferendo minui videbatur: velut qui proximis littori vadis, mare pedibus ingrediuntur, in vaſtiorẽ altitudinẽ inuehi ſe non priùs ſentiũt, donec ſummo vortice abrepti, profũdius nequeãt tranſilire vadum; remotasq; multo jam ſpatio terras, oculis fugacibus captent. Laudesne adhuc armati referã? non minora egiſti inermis. Repullulante in Sceptris Tuis paciferâ Mercurij Virgâ, cùm ſolus ouantẽ Zephyrus perdominatur annũ, ita dormitantis Æoli mitè ſtrepentibus cõfidiſti Fauonijs; vt Threijcium Aquilonem, inter barbaros & rebelles, non plenè ſopitum crederes: mox ab irritatâ attritis poſtibus, ſuæ tamen ſẽper cladis oſtiariâ, dũ cõtra Te laxatur, Othomanicæ Ditis Portâ, velut agmine facto, erupturũ. Vernauimus niuibus Tuis, floridi, ad inuidiã Orbis, Sarmatæ: dum Tu vel illã inter acris brumæ canitiem, pulcherrimo candore notabilis, nõ lacteam calcares viam; non primam glaciem, ſed hyemem totã frangeres; frigus ipſum ardore gloriæ adureres; è rigidis ſterili gelu campis, vberem Laurearum meſſem legeres, quam imbre ſudoris Tui aureo fæcundaſti. Quid illæ ZORAVNENSES THERMOPYLÆ? inimico, quod fecimus ipſi, fato, vltimus propè rerũ perditarũ articulus; neceſſitatis veluti de grãdiore periculo diffidentis telũ duriſſimũ; an non in illis novum Leonidæ decus merita, immenſa ſtetit Tuæ Magnitudinis amplitudo? qui, cùm ſtares vnus, Caſtra ex Te feciſti: an non vna, in Virtute Tua, omnis ſpes ſalutis cõſtitit? & è purpureo velut crine, integrũ fortunæ & gloriæ noſtræ pondus, totq; populorũ vita; è Tua, inter vitæ mortiſq; confinia, laborantis Reipublicæ corporis ſoſpitatrice Anima pependit? TV VNVS, cùm non tàm obſeſſi quàm obruti, illi tecũ Fabij Decijq; Poloni, omnes Zopyri; roburq; magis Exercitûs, quàm nomen; immortales in ſingulis Legiones, nihil jam ex vetere fortunâ, ex militiæ apparatu, præter animos ſeruarent; cũ in illo barbaræ

baræ multitudinis infinito tumultu, arriperent vacui occupatos; integri fessos; fortissimus quisq; telis ignaui caderet; res ad Triarios veniret; necessitas in loco, salus ex victoria sola esset; cū, animis, si occumbere necessum esset, ad occurrendū discrimini paratis, spes, timor, ratio, casus, obuersarentur: Tu inquam Vnus, recti in Patriam amoris peruicax; constans aduersùs metus; nec paruis periculis immixtus; & maioribus non defuturus; anteire agmen; noctu, diuq; consilio, ac, si res posceret, manu hostibus obniti vbiq; prōptus, habitu ciboq; fortuito, vix à gregario discrepans; vertisti in ludibrium ingentes minas, à ceruicibus nostris, Regij obiectu Capitis, ipsam fati cuspidem auertisti; totamq; illam sartam tectāq; rem, maximâ ex parte Virtuti Tuæ debes: animo, viribus, aut loco victor; sæuo tempore seruatum sine ignominia exercitū, quàm multa millia hostiū occisa, majori gloriæ, ex merito, habiturus. Erat hæc, opinor, altissima quæq; à longe cognoscēs, Superûm destinatio: erat paratus TIBI ad fastigiū summæ gloriæ sub cortina cælorū gradus : quòd excidentē tunc deuoratæ spe victoriæ, dū inuicto animo non caderes, hostē manu miseris; mittēdū nunc cū fænore trophæorū, sub ineluctabile jugū : vt ad augēdū Triumphi Tui dec9, maiores vel immensitate illâ, seipsū nō capiens fast9, coaceruaret vires : Tibiq; interim cresceret occulto velut arbor æuo, tātò clarior Victoriæ fama; quantò maiores essent, quos vicisses. Aude calame ! ac ipsâ dicendorū magnitudine, nō vsitatâ velut, nec tenui pēnâ in sublime elatus, ad intima vsq; arduissimæ virtutis penetralia assurge ! nec jam vrgentibus omnia Musis, sed Regū, quo nō surrexit Major, IOANNE Maximo, dignum aliquid meditare. Hìc ego quidē Tuarū cumulo Laurearū, captiui ingenij palmā, cōcedentēq; ferro calamum superijcio, Orbis vniuersi, in illius Tyranno, VICTOR Fortissime. Sed non ita Te victrices in altum Aquilæ eleuârunt; vt non vel testudineæ mentis contemplatio illuc adrepat: & quod cum fulgentis siderum Reipublicæ Serenissimo Principe, Regi Tibi commune est; dum integri splendoris meridies, mul-

 tâ se

tâ se luce videri prohibet; è vibrantissima Magni Nominis Vmbra, è conferta præclarè factorum velut siderum Colonia patebunt saltem atomi & scintillæ.

Bina propè ad vmbilicũ descēdũt lustra, ex quò præteriti memor, metuensq; futuri, clades apud nos sub TE REGE scitè refugit suas; avt lætã pacis speciẽ, prætēdẽs fraudi, bellũ nobis tã integrũ reliquit, quàm hodie habemus, ille rugiẽs balatu Lycaon: & qui pejus nutrit blandiẽdo malũ, timẽdus cũ dona ferat, sub mẽdaci comptæ pacis imagine ferocior Orbis Archilatro. Ereptus è medio jam fermè rictu, Tuâ, REX, ad Zorawno magnanimâ vigilantiâ defensæ Poloniæ bolus: & hâc totius Orbis mutatione, fortuna Imperij trãsire visâ, collecta ex tam longo vorandi rabies, & siccæ sanguine fauces, accẽderunt flagrantissimam sitim: non jam per interualla & spiramenta tẽporũ; sed cõtinuò, & velut vno ictu exhauriendi Orbis. Ergò pacẽ, ne tum quidem amplexo, cũ bellũ posuisset, nõ ferrea cogitatio, Bellatorq; animo Deus excidit: sed ingenti, & ãte illum diem insolito paratu, vrgendo trahendoq; Martis negotio, quæsitissimas rationes secũ ipse sæuus parabat, suisq; fatis similes: nec jam Panica terriculamenta, aut personatas Gradiui Lamias, & habentia pacis vultũ armorum triscurria; sed veros timores in intima Europæ delaturus, non iam prælium sed bellum meditabatur. Feruebat ad tam grandem Gigantomachiã, exercendo chalybe tota Bisantii Lipara: cecidit in classem multũ nemus, vincula & catenæ coercendæ fluminũ libertati, nouâ Xerxis insolentiâ paratæ: ferarum millia ex Libycis saltibus, & vltimâ Ponti solitudine cõgregata: ãnonaria prouisio, fæcũdissimâ Nili Cerere, & diuitib9 frugũ Ægypti agris, in immensum aucta: neruus belli è Pangæis visceribus, & Pactoli vsq; arenis erutus; auxiliares suppetiæ; orbis integer, imperatus, vltimo terrarum Horisonti delectus; quidquid ab Imao monte ad Æmum Thraciæ, purpureasq; Auroræ fores, tam immensum terrarum spatium, non tenet tantùm, sed & implet: quidquid ferũens Titã, dũ diẽ propinquâ tangit face, & lucida diei vrunt tela: quidquid Panchaias syluas, thu-

thuraq; Sabæa olet; Gangē, Euphratemq; bibit, & vel inhabitabilis Zonæ fimbria cingit : quidquid demùm ponè vltimam Thulen, Machometica spurcitie pollutum, Ianitor Orci é vicino allatrat : vniuersum id arma parare jussum, totq; immensæ comites ruinæ exciti populi: vrgente omnia Polyocerte sæuissimo, qui vltrà; quàm barbaris solitū, ingenio solers, aduersùs homines juxta & Deos securꝰ, vt sibi ne voto quidē opus esse putaret: animo adeò ferùs, vt tenerrima etiā victoriæ oblectamenta, nec minorē belli, quàm luxuriæ apparatū secum traheret: in latissimo terrarū dominio nauseans, dū Regiā Phæbi somniat, viamq; affectat Olympo, ad miserandas clades & Generum Cereris, perdito instinctu poscebatur. Ita prægnans ille sæui moliminis cōceptus, septennio integro crescētem tulit vterū; donec viperina in Patriam rabies, publici æquè ac sui fati crudelissima obstetrix, feralē accelerâsset partū: ac in corrosa tā longo bellorū morsu Imperii viscera effudisset. Veniet certè, qui cōditam seculi sui cōniuentiā, Æoli istius nubē, dies publicet; suoq; euolutā arcano, diris & execrationibꝰ inuoluat: quæ tā grādem procellā sanguinis, eousq; suspēdit, vt ad cataclysmū intumesceret; atq; ex Germaniæ montibus, in plana deuolutaq; nostra, cumulo furens iret. Mihi, REX, Tuis laudibus initiato illud retrahit ac obuelat mentē, quomodò Tuo primùm summo Vertici, trabalis ille clauus, qui per Austriæ Caput, Cordi Lechiæ figebatur, seriâ meditatione inhæserit; quomodò istas versipellis Draconis insidias, &, nisi Tu obstitisses, circulos non omninò vitiosos, Epidaurio Serpente acutiùs penetraueris : atrox jaculum, quodcunq; petierat, cōsecuturum, nisi Tu repressisses, vt minùs Lechiā feriret, prudentissimè præuideris : in terra aliena, felicitatis nostræ non vanā promissionē feceris : Imperij fortunā, securitatem Orbis, Polonum in Tua gloria decus, pulcherrimè junxeris, & firmissimè solidaueris. Alma illa tranquillæ Pacis nostræ faustitas, non Tibi madidum & decolor bellis sagum, inerti lectisternio cōposuit : sed sacer quieti nostræ, indefessus labor, securitatis publicæ, per sua discrimina operatius,

multa tuliſſe feciſſeq́; juſſit: Te Tibi eripuit, Totũq́; majore, quàm velle nobis liceret, impendio, amori Patriæ donauit. Amâſti armatus pacem, vel poſtquàm enſe feſſum exoneraſſes latus: igneo fortiũ cogitationũ æſtu, periculi quàm inertiæ patientior, longoq́; Togæ tranquillior vſu, non dedicisti, ex conſuetudine in Naturã acceptas, optimi Imperatoris artes: non minùs quiete, quàm motu & actione profeciſti: iamq́; fermè ſedendo etiã gerebas bellũ, cũ altâ pace Gentes Tuas aleres. Ita rapidi Cælorũ Orbes, dũ nec moueri nobis ſuâ ſtatione videntur, velociſſimos curſus agunt; & quod ſentimus magis quàm videmus, in hæc terrena influunt. Ita altiſſima flumina, minimo labuntur ſono; & per ſectas latẽtib9 cuniculis, magnæ Parẽtis venas, ipſum Oceani ſinum intrãt, cùm non vltra ſuos aggeres procedere putentur.

Venit proſperè ad Lydium, excitatiſſimi ad omnes occaſionũ ictus Animi Tui lapidẽ, raro ſucceſſu, & frequentibus curis mentes Principum diſtorquens, primâ plerũq́; fronte lætum, tractatu durum, euentu triſte, fæderis ineũdi examen: cùm iſtud ſæpè in publicis negotium, nihil eſt niſi conceptus inhoatus; & ſi malè calculum ponimus, incorrigibilis error; primò prudentes, dein vulgum, diutiſſimè Prouincias fallens: cùm vincula hæc irretiant ſæpiùs, quàm obſtringant; & quò ſubtiliùs in nexus Gordios obligantur, eò faciliùs nodum in ſcyrpo inueniant, aut in nugas araneæ euaneſcant. Hîc ſicubi oculatæ ſint Regum manus, multùm videant, cui & quamdiu fidant? an non in mutua fæderum authoramenta, ſiniſtrè protendant dextram? an non vbi robuſta apprehendebant columina, baculum arundineum capiant, & in caducum parietem inclinent? quærantq́; ſuo exitio propiores, cum qua Gente cadant. His Tu omnibus ab altiſſima erectæ mentis ſpecula, diù probè cõtemplatorem animũ aduertiſti, an aliquis lateret error, prudẽti bolide, & diuino in arcana Superûm deſcenſu, vada omnia, & ſalebras pertentâſti; ac vbi, non vagam Ponti mobilis vndam, & quæ apud concordes vincula charitatis, incitamenta olim irarum; apud inſenſos fo-

re; sed plenam pelagi huius fidē, ex his armorum animorumq; veliSac remis sociatis, bonæ spei Promontorium ac Fortunatas Insulas solertissimè explorâsti: summouisti omnes remoras, ventis intendisti vela secundis, longoq; labantes consilio Patres firmâsti, Author nobilissimæ, & Regnū propinantes gemmas, pretio supergressæ, quia Orbis fortunā cōplexæ, Vnionis. Spiritus ille Tuus, viuificans & vniens, diuinū inter multas collisiones emoriēti jam fermè pulcherrimo operi afflauit spiraculū vitæ; mutu9 hic Aquilarū amor, benè ad solem constantiæ exploratus, Tuā Dexteram Excelsi obligante manu, felicissimè coaluit; & factis Tuis, dictisq; sapientissimis, quæ tunc Lauris Delphicis præripuêre palmam æternùm est obligatissima Austriaca Tænia, quòd in hos Lechicæ virtutis nexus iuerit, quòd, postquàm illos quibus nō modis soluere nequijsset, rumpatur, quisquis rumpitur inuidiâ. Prorsus quæ jam feliciter consummâsti, tunc sapientissimè auspicatus es; Tuæq; solius gloriæ, diuini hujus in terra operis finis & principium debetur, ac non dubius, prout prima cesserint ad vlteriora gradus. Substiterat ad totam circa vnum boni publici corpus Aquilarū congregationem, haud frustra formidandam, hæsitans & attonitusBelluæ illius furor; sed desistere ab incepto, & reuocare gradū noluit: seu, cui vltima fortuna subest, nō timet dubiā; seu, quæ fato manēt, quamuis significata non vitantur. Quis tunc vtriusque Pannoniæ Campus? aut quæ flumina lugubris ignara belli? latè fluctuauit omnis, (cui non minùs ipsi, quàm nobis grauis esse volebat,) ære renidenti tellus: & quocunq; illa Ditis eluuies, intestabilem tulisset plantam, nullas nisi sanguine fuso gaudebat habere vias: solitudinem ac perniciem, & mille diras imagines mortium minitatus, latè vagabatur ensis. Putres equorum hominumq; formæ, noxia tabo humus, dira vastitas, sæui ac tacentes loci, spes timori erepta, solitum flendi modū superans grādo sāguinis, morte execrabilior captiuitas; & quæ malorū supremis pejora sūt, florētissimas populis ac opibus Gentes inundauerunt.

Placuit, vltra Herculis itinera, & Iuuenis Pellæi vota, vltimam Orbis calcē æstuanti Barbaro, à Capite Austriæ, fædos nimiæ spei exitus auspicari; ignaro, omnem hîc sibi spem salutis in pedibus fore, vbi tam superba malèsani capitis ãbitio tumidas inflauerat cristas, mox turpem, exsibilantibus fugam ventis, ludibrium daturas. Vrbem ergò illam, non tam deinceps opibus & muris Deûm, quàm virtutis fideiq; infractæ famâ Gentes per omnes claram, mortem, interitumq; latè spargentibus armis circũsonat; tot propè militibus, quot orbis homines habet; quorũ nec minuerat præsentia famam, nec maiora de absentibus credebantur: cingit vndiq; & vrget, imbre plũbeo, nitratisq; nubibus, oculis diem eripit; præterfluentis Danubij indutos arma scopulos, operosis molib9, in sui furoris societatem irritat; elemẽtorũ fidem, perfidus ipse, mutat; terræ cõfossæ viscera, vt maturè sibi, latere volens perfidia, fatalẽ pararet tumulũ, intractabili, sed tamẽ quàm durus barbari cordis silex, molliore ferro, & eruditis ignib9 scrutatur; flumina, terras, ac cælũ quodãmodo ipsũ, strictò æquè metu ac obsidione claudit. Eja! macte animo INVICTE REX! sequere felicẽ impetum: ecce tanto petitum ambitu, tanto datum, Fortitudinis Tuæ theatrum, cum suæ busto audaciæ, Othoman9 propinquat furor. Iam nouo Tibi, extra appictæ somnia felicitatis, Timotheo, Annulus Piscatoris, interruptam gloriæ victricis orbitam, in rete aureum libera liter compellit. Iam certantib9 Prouinciarum studijs, jam arrectâ Orbis expectatione, jam Poloni Militis, qui primus jussa Tua exequi, non interpretari maluit, & sub magni nominis Ductore LVBOMIRSCIO factis Regalib9 prælusit, feliciter prægustato triumphalis fortunæ experimento; jam obsitarum turpi squallore Gentium, in spem meliorem prominentib9 votis & ominib9 vocaris: & breuissima horarum spatia, donec Optatissimum cunctis exoriâre jubar, seculorum tædioso tractu stillare facis. Ne vltra concuti querelis Cælum, & inuidiam fieri Superis permitte: I pede fausto, intende prosperè, procede: quomodo lucem diemq; omnibus, ita omnes terras fortibus Viris

Na-

Natura aperuit: cuncta Virtuti Tuæ expugnabilia, torrentis instar ad manus Victoris defluent; ferrum Lechicum virtusq; vincentium, sentiet tecum suos creuisse triumphos, gratiorq; feretur sub Te teste labor; Tecumq; Rege & Imperatore exæquatus, magis ac magis volentibus erit. Sed quid ita coram Achille de armis dissero, lõgiùsq; hæc cogito, quàm à Te parata patrataq; sunt. Sustinete post toleratam octo hebdomadis, crudissimam obsidionem, hac adhuc angustiarum periodum; post interceptam medij fiduciam valli, fossarumq; moras; post attritos immensis glandibus, & in terebratæ viscera telluris abstrusorum fulminum explosionibus, in terribiles visu formas, abscissas rupes, sæuaq; Acroceraunia versos, aheneos planè muros, vnius propè noctis peritura fato, VIENNÆ Pergama. Hector Vester, toto ruit igneus Marte: quocunq; augusti gradûs sonitu, Major hic Pompeius, beatiores contingit terras, rediuiua illis felicitas, Vobis triumphales suppetiæ erumpunt. Iam fidelis per tot bella, & verè Polona Manus, Miles longâ præliorum experientiâ, & tanti Regis sacramento imbutus, justæ uindictæ adest; ac nullos mortaliũ, armis aut fide ante Polonos esse, comprobat & euincit. Hîc mihi, noctes illæ, quas orbatas side ribus, insomni oculo illustrâsti, æstiuis caloribus accensa virtus, cibis nullo cogente paratis obsonata fames, hausta pro nectare salientis riui puritas, augustis sudoribus tumor fluminum stupefactus, cultu leui, Capite intecto, lacessitas cæli injurias prouocans, Magnanimum Corpus, plurimus vbiq; & insignis labor, illa rerum æternitas; obrutum mole sua calamum non grauatè excutit: vt suis Te lineamentis viuaciore energiâ pingat; & admirandæ virtutis Emphasim illam, in qua nos stuporem veriùs, quàm cogitationem figimus, infinitæ ætatum successioni pereniùs transscribat. Ego Te jam REX, nudis, & eo celebriorem victoriam, quò majora pericula prouocantibus fulgurantem armis, trepidâ scriptione prosequor; ipseq; reuereor, cataphractâ jam maiestate, & districto fulmine Tonantem veluti Iouem: jam vultum ad præsentem fortunam comparatum, Martij cor-

dis ignibus, & quâdam diuinitatis ſcintillâ inflammantem, pulchramq; ſeuero miſcentem decori terrorem, jam argẽteos Lunæ nitores triſti nubilo pererrantibus tenebris, jã ad primum VVLTVS SCVTIQVE Tui intuitum lapideſcenti audaciæ formidandum. Næ Tu illuc veriùs, vixdum ſpe maior, famâ melior veniſti! Hoſtem, cuius tot fortiſſimis obſeſſæ Vrbis auſibus lacerata non leuiter multitudo, omnem damni ſenſum ſuperauerat; qui, vt Indorũ ille contra Alexandrum Toparcha, neminem ſe fortiorem eſſe cenſebat, ſuarum benè virium conſcius, nondum expertus Tuas; Hoſtem inquam, alterutrum merſuræ caput fati aleæ deſperatiſſimè confiſum, vno eodemq; impetu vidiſti, ac viciſti. Interjecerat calentiſſimo & inſomni animo breues moras, longiſſima illa noctium; ſupremũ perituris hoſtibus beneficium, & modica ĩmenſæ necis dilatio. Credo, quòd indignata diem, qui tantum ſibi Lunatici generis, ad ſilentes nocte perpetuâ domos miſſurus fuerat, adhuc deuotis letho adimeret Hecate triformis: vel quòd ab illo, cui nondum par viderat, ex quo videre cæpit omnia, Fortitudinis Tuæ ſpectaculo abeſſe noluerit, Sereniſſimus mundi Oculus. Scidit ille, plùs ſolito tunc ſerenior, properãtib9 radijs, obſtantia vmbrarũ tædia; nobisq; exportauit diem illum, qui pulcher fugatis Viennâ tenebris primus almâ riſit adoreâ; qui ſacer vnicè, omnique à parte beatus ſeculorum nobis fortunam exactiſſimè peregit. Tibi cum illo adeſt toties optatæ copia pugnæ. Iam Fortuna, ſæuo læta negotio, & ludum inſolentem ludere cupida, Tibi ancillando nunquam fatigata, gaudet juſtæ cauſæ triumpho accedere. Iam Vexillum illud, Tuam, ad Vaticana vſq; Capitolia, gloriam expanſurum, victricibus Aquilis ſubdito ſtrepitu abblanditur: jam aduerſæ ſtetere acies; feruidiores iræ generoſas mentes præcipitant: jam claſſicum ad arma vocat, & ferales litui ſtrepunt. Pandite nunc aureas Olympi domos! &, cui nihil ex anteactis præteritum eſt, veſtram memoriam recenſete, veſtros, Fata, boniq; Diui, oculos, interrogate; an à primis, quæ in Aſſyria fulſerẽ armis, belliq; parente Nino, fuerit vnquã

acios-

attonito Cælo dignior arena ? Hìc, ſicubi, fortioribus adeſte! & Regem, an Militem? diſcrimine nullo, victoriâ, citra ſuum periculum & dimicationem, nobilitari nolentẽ, decorum promptumq; in armis, & ſui jam ſuperiorem, inſtantem perculſis, ſternentem obuios; quod inuium, & validiſſimum, vehementi animo perfringentem; laudem ſtrenuis, ſolatium inualidis, exemplum omnibus oſtendẽtem, non proprijs tantùm Regi artibus, ratione, & conſilio, ſed armis etiam ac manu, pro virili portione victoriã, juuantem; imò vt totam à ſeipſo triumphi famam habeat, ſumma omnibus pericula præripientem, velut Dardanium olim, ſi qua fides, Heroem, cauâ nube amicite! ſeruate Hunc, quo cum Patria, & ſeruatus periret Orbis: proq; vobis magnæ Animæ immodicum; vobis in expianda barbaris Lemuribus Templa, triumphaliter reducendis, in triumphum aſſerite. Equidem, REX, cùm totus Orbis Te ſibi Caput fecerit; cùm Tuâ incolumitate viueret ſalus noſtra; cum vnum illi Tecum eſſet, & commune periculum, ſæuitia fuit voluiſſe mori: & cùm maximé, integritatem gloriamq; noſtram ob oculos verſares, noſtri maximè oblitus eſſe videbaris, cùm, Tui adeò immemor fuiſti. Inuehitur ferociter, cum ſuorum lectiſſimis, in dextrum cornu Tuum, vt cladem authore leuaret, VESIRIVS: ſed Tuo vix fruitur, mox & terrerur vultu: ceſſit impar tanto æmulo, ne caderet; & poſt ſuſtẽtatam diu, manu, voce, exemplo aciem, ſaucio equo delapſus, vel illius periculo monitus, didicit non temnere Diuos. Quanquam & ille (nam & in hoſte laudanda virtꝰ, quæ Tuæ laudis materiam nutrit) nullum in illa omniũ trepidatione, cùm jam plùs pauoris quàm certaminis eſſet, conſtantis Ducis, aut fortiſſimi militis officium prætermiſit: occurſat pauentibus, retinet cedentes, partium fortũnã excitat; fatoq; jam & animo diſpar, victoriã adhuc inquietat, moratur cladem; donec matura jam fata aſpernãtem, ſuiq; funus extremum militis fieri ardentem, tumentemq; lacrymis, nec jam Imperatorem, ſed tantùm belli moram, fidi caſùs ſui comites Baſſæ, & tot cladibus fortitudinem

Tuam edoctus, Tartarorum Regulus, non tàm ſuæ fortunæ, quàm Virtuti Tuæ cedere juberent. Mox alij Ducum, velut animis capti, & quemadmodùm mortua ægro capite membra, neq; alienis conſilijs regi, nec ſua expedire; turbatis acriùs metus, quàm Dux imperate; inter mortis metũ & vitæ tormenta, miſeri fluctuare; & viuere nolle, & mori neſcire; omnes tandẽ diſſipati metu, & quà cuiq; patebat ad fugam via, erumpere; cædibus miſceri omnia, cruore omnia perfũdi; nec jam pugna, ſed ſtrages eſſe. Inſtitiſti tergis fugientium Victor, donec infinito vulnere & ſanguine hebes perderet enſis opus. Tuoſq; quatuordecem horarum Herculeos labores, triumphalis nox dirimeret: quæ etiam, ſegnior tunc, quàm lex æterna vocabat, non plebeios planctus teſtatura Cupreſſu incinctum caput extulit: vt ſeriùs, quam dies fecit, ſtragem ſuorum cerneret: Tibiq; alteri bella Numinis vindicia, conſummaturo Ioſuæ, famulos curſus, Sol immobilis morabatur. Proximus dies faciem victoriæ, latiùs aperuit. Iacebant obſitis cadaueribꝰ cãpis opes pluſquàm Regiæ: aureæ ſub tentorijs, Neronis ædes, Cyri Vineæ, Semyramidis horti penſiles, Aſtra Coſrois, ſalientium aquarum peregrina artificia, maculoſi gemmis & auro balthei, Sarrana veſtium aulæa, arcus, phaleræ, acinaces, Solis pretioſo fulgure irritamenta; nec ſufficiebãt prædantium manus prædæ. Aſt Tibi pro tantis ſeruatæ Vrbis mænibus, pro reddita Ciuibus vita, quæ Murales, Ciuicæ, Obſidionales, madidam pulchro ſudore comam impedient? quantæ penſabunt facta coronæ? Modeſtiæ imagine in altitudinem conditus, retinuiſti, quod eſt difficillimum, triumphali ex gloria modum: quanquam ipſâ diſſimulatione famæ, famam auxeris; & cùm nihil in Te tumidum, arrogans, aut in rebus nouis, nouum eſſet, maiora meritus videbâre, quàm quæ ſtatim exſoluerentur. Non in ſublimes Pyramidum ſyluas, aut in Cælũ ituras trophæorum moles, marmora, & ingenia artificum euiſcerâſti; quæ ſæpiùs frigidam ſaxis Heroum memoriam obruunt, non attollunt: & ſi judicium poſterorum in odium vertit, pro ſepulchris habentur: non Leonum jubæ,

aut

aut Elephantorum machinæ, triumphalem junxêre currũ: quæ inuidia potiùs, quàm pompa, illos in Capitolium vexit; quos cognata feris immanitas, speluis, quàm Cellâ Iouis digniores illusit: ast gratantium ovantiumq́: studijs immodicis, sponteq́; fusis plausibus, per obstructas cæsorum strage vias, exæquatas corporibus fossas, & recentia sanguine vestigia, portis æquè ac animis patentibus illatus, lassabaris in oscula, fortunâ suâ felicioris Populi, reddere volentis vitam, quam fato proximo ereptam, post tot pericula gratiorem dedisti. Quæ illa? vix dulci præ fletu vsurpata consalutatio? quæ gaudia lacrymosa? læti singultus, superfusâ timori lætitiâ vehementior cordium palpitatio, ad Te SALVATOREM, ad IOANNEM, exsilire volentium? interclusæ suspirijs voces? cùm jam iratis Dijs non liceret esse, pulsata pede libero tellus, fataq́; rapacia calcata? quod natæ ex metu securitatis pretium? quæ Religio, Cælo detractum Saluatoris titulum, Tibi adstituens? omnium ora, oculi, animi in Te Patrem ac vindicem, Vrbis alterum Conditorem, hilari, & solitum stupendi modum vincente admiratione conuersi? Hi sospitatricem Manum flagrantissimo ori insatiabiliter admouent, & repetitis libant osculis; illi augustos pedes, tenerrimo amplexu stringunt; alij se, vel fimbriæ tactu consecrari credunt; alijs vestigia lambere satis est; cæteri quos circumfluens turba, propiore accessu arcet, votis liberalibus seqvuntur; speciem, & diuinas animi dotes, alter alteri narrat, digito mõstrat, & omnes singula mirantur.

Ergò Te jam tot periculis ac laboribus perfunctum, tot itinerum spatio fessum, & vel ipsâ victoriâ attritum, dulcior saturabit quies? & imminutas assiduitate vires, lenioris otij alimenta pascent, vt reficiant? Fabula hæc surdis ad ignauiam auribus; quas totas classici implenit amor. Non vincere tantùm, vt Pœnus ille victoriâ imbellis, & triumpho victus; sed plùs etiam, quàm vti benè cæptis sciuisti: Vix vnius diei indulgentiâ laboribus datâ, nihil actũ credens, si agendum aliquid superesset; tàmq́; longâ fessũ militiâ latus, recenti sub Lauru, deponere exoptans, pre-

 mere.

mere, quos cæpisti, vrges: pluentes adhuc calenti cæde manus, decoloribus Danubij aquis, non tàm abluis, quàm iterum cruentas. Pugnare rursùs postquàm fugisset, volens Parthus ille verior quàm Turca, ipsâ vitæ, viæq; ad fugã desperatione efferatus, cùm idem metus, qui cogebat fugere, fugientes moraretur; perfrictam furenti audacia frontẽ vertit, pertinax in mala iam spe prælium instaurat; quemcunq; dederit exitum casus, magno & perdito animo laturus; Tuæq; satiùs fortis Æneæ dexteræ, quàm probrosis carnificum securibus, submittere jugulum præligens. ea cura, etiam perituris, decoræ mortis fuit. Vitium istud ex virtute in animis victorum pullulat, vt minorem esse victis animum, plùs justo credant; eodemq; cursu, qvo fluxêre, ituras vltrà victorias, improuidi arbitrentur. Sæpè tamen, Victoris plantam, prostratus, dum contemnitur, momordit hostis: sæpè virentes Laureas, neglecti sæuior exussit procella fati. Ita Paulus Æmilius, timorem simulauit tantis per, donec Ligures Castra adorti improuidè, cæsi essent: Vellius ab Asdrubale petiuit, vt sibi incolumi vitâ abire liceret; ac eâ simulatione securum hostem cæcidit. Macedones, Romanos ad mare fugientes inconsultè secuti, victoriam clade permutauerunt. Ibat lentum & rarum agmen, incertus signorum ordo, cunctis super vota fluentibus, futurorum prouidentiæ impos, vtq; tali in tempore sibi quisq; properus, & lentæ aduersùm imperia aures. Erumpunt ab insidijs victi, sed nondum debellati hostes, densi vndiq; & frontem, tergaq; ac latus tuti: quibus vna jam salus nullam sperare salutem: id vnicè agunt ne inulti cadant; partæ nuper victoriæ famam, non modico damno lacerant. Quanta in Te tunc arduæ gloriæ auaritia? quàm immoderatâ ac effreni virtute fortis? telis non impetitus, sed obrutus, Tuo digna animo pericula sumpsisti? illaq; ipsa toties erubescere visa; quoties detectum vulneri pectus Caputq; Regium vidissent. Neq; illud culpâ Tuâ, MAGNE, TIBI acciderat; qui satis citò incipi victoriam ratus, vbi prouisum esset ne vincereris, rem tunc cunctando restituisti, cùm incautos, furentibus desperatione ac rabie nõ obijceres;

res;

res: fatorumq; hæc induſtria fuit, illam differentium victoriam, quæ nos ſimul, ac hoſtes liquidiùs doceret; Tibi vni faciles dare ſumma Deos, eademq; tueri non difficiles; omniaq; eo in bello proſpera & victricia, auſpicijs, conſilijsq; Tuis imputari debere; vel illâ ſuprema clade, benè æſtimatibus barbaris, quantâ futuri ſpe opus illud maximum diſtuliſſes. Venit poſt biduum Dies ille, gemmis ad poſteros ſignandus; quo prius Te veniſſe ſciuerunt, præferoces animis melioribus hoſtes; quàm venturum ſperâſſent. Horret animus meminiſſe, illam vel hoſtium cladem, quâ Flos ipſe Aſiæ Bellatorum, Martis Thracij medulla, tot victoriarum fragor, nil niſi vulnus, captiuitas, & mille inter moriendi pericula, mortis timor, quâ jam incipiunt mori, ſtrageſq; excidio ipſo fœdior. Nullâ feriendi, neq; declinãdi prouidentiâ, quantùm equorum vires, ad perſequendũ, dextræ ad cædendum valent, tantum eo prælio interficitur. Alij ægrè luctantem lenta cum morte animam, trahunt, dum retinent: alij multo vulnere effugientem præcipitant, alii quo ſanguinis oſtio flueret incertam diuidũt, & mortis timorem morte fugant. Illi graues armis ac prælio, è fracto Danubij ponte, (qui tunc vel lubrico aquarum fluxu, inſtabiliorem perfidiam ferre noluit;) ruinæ modo deturbati præcipitantur: hi viles ad prædam, & ſine cædis pretio, in ludibrium trahuntur: illi rapidis vorticibus hauſti, non ſicca morte intereunt, rapiuntq; ſuam victoribus cædem. Neq; enim vel ipſe tunc ſeruatus bello Danubius, pacem dedignantibus vndis tranquillus jacuit: ſed ſuos demùm, in naufragia hoſtium, quos ferrum triumphale contempſerat, fluctus & ſcopulos armauit, & coniuratos exciuit ad prælia ventos, illud omninò in gloriam trahens, quòd Tibi militauerit, non indignus Regio triumpho comes, quia ſanguine purpuratus. Vidit ſe mox, ejus in littore perditum, ſuperbo dolore crepans, nec miſerationem Superûm, ſed diros infernalis Perſephones vlulatus furialibus næniis laceſſens VESERIVS: & cùm non prius tãtæ cladis nuntium acciperet; quàm ille tabo ſuorum decolor, lacrymas affundentibus oculis illaberetur, omnem pro-

tinùs detritæ ſuperbiæ faſtum in illo merſit, & fluminis ocyor alis, cùm & ſibi pennas timor adderet, fugit. Tibi ſeptum victricibus armis Parkanium, triumphales portas aperuit; triſtemq; ſub Orcum redire juſſis, tituli diuini furibus, in repurgato pijs ritibus Templo, verum EXERCITVVM DOMINVM, qui Tecum pugnauerat, ſacrum inter Pæana adorauit. Iuerunt certatim aliæ, in Tuæ Fortitudinis obſequium munitiſſimæ Vrbes, LEVECIVM, ZANTO, SCHETINIVM, & illa Hungarica Acrocorynthus, par Cameneco STRIGONIVM, præſidio, annonâ, milite robuſtum, & ni ſolus Tui Nominis terror, pertinacia excuteret arma, diu ad vltima duraturum: propria vectigalis calami confeſſione, per ſuos Præſides, illud faſſum: quòd Tibi ſoli exarmari ſe non pudeat; paremq; triumpho deditionem cenſeri, quæ Tuis vel inermibus auſpicijs deberetur.

Ita, REX, ſeculorum bella, diebus tranſegiſti: mundo pacem, vicinis Gentibus fiduciam, hoſtibus ipſis, cultum Tui amoremq; infudiſti; donâſti petentibus vitam, ideò tantùm à paratis mori optatam, vt Tuæ moderationis præcones viuerent: quæ, cùm Tu hoſtes vinceres, de Te Victore triumphauit. Impoſuiſti tot luſtris magnum diem: Tibi ſolidam ac immortalem gloriam parauiſti; vt nulla futura ſit tàm ingrata fama, nulla ſurda poſteritas; quæ non laudes Tuas libens audiat, & non vſq; ad Cælum ferat. Exoneret fædatos adulatione temporum faſtos, nimia ſui admiratrix, & intemperans encomiorum antiquitas: quoscunq; tandem MAGNOS, FORTES, PIOS, FELICES, plaudente ad inſaniam mendacio, & ſine veri falſiq; diſcrimine, malè natas adulationes edoctâ linguæ popularis licentiâ buccinauit: hodie in Tuarum comparatione rerum, quarum ſingulæ Pantheon ſibi vendicant, ſacro velut horrore defixa, minores Magnitudine Tua fuiſſe, Teq; cum illis tantum Principem conferri, virtutum injuriam eſſe, vltrò citroque fateatur,

Tu jam Lechiæ Amazon, majore ſupra ſexum animo, Penthesileas, & Camillas, Sororemq; Tonantis prætergreſ-

ſa.

ſa, pulchros, REGINA, pioſq; pone metus. Seruauit duas Tuo in REGE animas, ſupplicibus feliciter pulſatum vocis, cadenteq; in lacrymas, nitido oculorum ſidere fractum & colliqueſcens cælum. Quamuis, Munus ſuum, fruſtra DEO commendari viſum fuerat, nunquàm ſollicitæ curæ ſatisfactum Tua pietas putauit; quin continuo diuinorum miſſilium ictu, teliſq; aureis Superos oppugnares; & irrequieto orandi ſtudio, vt votis annuerent, vt animi characteribus ſubſcriberent, ad vſque moleſtiam fatigares. Bella matribus deteſtata, nouam in Te nobis Agrippinam dedêre: quæ Tuo, triumphos in Germania, perſequente Germanico, RegisDucisque munia, per eos dies feliciſſimè induiſti; cùm aut militares BellatoriMarito ſuppetias mitteres, non jam Regiæ frontis Faſciâ, quam capiti detraxit veriùs, quàm depoſuit Macedo, vt ſui potiùs facinoris gloriam quàm reuinctum caput nudaret, nec tam Lyſimachi ſanguinem, quàm amoris impetum ſtitiſſet: ſed ſecretò munificâ, nec tantæ charitatis pulcherrimum decus propalante dexterâ, obligares. Perennet Tecum iſte in Nos Maternus amor, fæcundaq; gloriam Matris diutiſſimè augeat: quæ Auguſtam enixa Sobolem, eòuſq; pro Nobis niſa eſſe videtur, vt poſt Te quoq; Reipublicæ proſit. Accede, galeâ ſagoq; formoſior Druſe, PræſidiumPolonæ Gentis, & Proles Deûm, Sereniſſime PRINCEPS IACOBE: ſuam in Te, parem coronis indolem, indutumq; mente Patrem, amplexuræ ParentiReginæ, da tangere dextram, quâ Gentes ceciderunt feræ. Exhibe ſaluum, Lacænæ Matri CLYPEVM, quem Tibi inclytas laudes & magnaGenitoris facta, præcurrente ætatem gradu ſecuturo feliciter porrexit. Quæ Te illic Principum ſtudia? qui Heroum amores, parem Africano, circumfluxêre? cùm Te aſſererent omnes, veniſſe Dijs ſimillimum Iuuenem, vincentem omnia; cùm armis, tùm benignitate ac beneficijs: cum Te Inuictiſſimo Parenti indiuiduum Comitem, geminum veluti Æneæ Aſcanium, alij roſeum cum Sole Luciferum, junctū alij Bromio radiare Tonantem, crederent & contenderent. Exſurrexêre jam in Te, in ortus ſuos generoſa ſemina cùm

in Serenissimo IANINA Tuo, exercitatissimis Musarum studijs, limatissimam Mineruæ Ægidem, in Martis CLYPEVM, erudito capiti pari mentis magnitudine reformâsti. Vela igitur cõmuni Laureâ, cõmuni sanguine cruentũ Caput: & quæ Magni exempla PATRIS jam in Te exprimis, seris nepotibus tribue: orbem impletum meritis, imperio & famâ imple. Neq; Te Polonia jam Tua capit SERENISSIME ALEXANDER: prælusisti triumphalis VEXILLI Tui fortunatissimis aspicijs, futuræ magnitudini? & cùm nunc victricia Signa Tua, ferocissimam Vesirij fregissent rabiem; Tibi supremũ Othomanici fastûs Caput (quod equidem nunc, deficiente Lunâ, minꝰ cerebri habet) cõminuendũ calcandũq; relinqvunt. Nec Tua sub temporis falcem, immortalis ibit memoria, ILLVSTRISSIME EXERCITVVM REGNI DVCTOR, aureo Hesperidum pomo pretiosior IABłONOVI: quam FALCIBVS Tuis in alienam messem, & colligendum vel peregrino sub Sole, Nominis Poloni decus, fortissimè inuolãtibus arcuisti. Ducent captiuam Tibi æternitatem, vel illa primi Asiæ sanguinis mancipia: & CLAVÆ Tuæ subiecta maxima Orbis monstra. Audi, vel è Tumulo, Tuas laudes, grande festinatæ mortis solatium habiture SIENIAVI: quòd post acta demũ, quæ fieri à Te oportuit, Imperatoria facta, animam triumphalẽ egeris; quod seruiendo Patriæ consumptus, illã ægritudine Tua animaueris; illi vitam impenderis, vt nominis acciperes æternitatem. Vetusta Germanorum superstitio, Te authore in Religionem transijt: cùm aut inhoatur LVNA, aut impletur, id bellis gerendis auspicatissimũ non ex vano jam creditũ. Nec ego VOS meis chartis inornatos sileri, totq; Vestros patiar labores, primæ in Cælo Sarmatico magnitudinis Astra, Par nobile Fratrum, Proceres POTOCII: Te vel exinde fortissimũ ANDREA judico; quòd nec dilectissimã Prolem, in gloriosæ mortis victimã, Patriæ saluti negaueris, ad usq; paterni cordis deliquia, vnicè illius amans. Et ille quidem, quanquàm primo fermè integræ ætatis spatio, quantum ad gloriam longissimũ ævum peregit! Te, par Alcidæ ferendis Regni oneri-

bus

bus indoles, dũ externum interim Serenissimo Atlanti incumbit cælum, alterâ à parte Regni fortissimi ausus, & cumulati victorijs triumphi, emeritâ donabunt perennitate. Tu FELIX, heu nimiũ felix! quòd vel quæsitã confertissimos inter hostium globos mortem non inueneris, in victoriosæ CRVCIS SIGNO, post triumphatos CRVCIS hostes, ipsam demùm immortalitatẽ vinces: quæ ipsa se Tibi mancipatam volet, vt & Tuis victorijs triumphet, & Nomine fortunato perennet. Te nobis pellucida SRZENIAVÆ crystallus, conspicuum facit, Magne Regis Victoriarum Anteambulo LVBOMIRSCI: Inclyta longo Sanguine Thetys Tua, quæ non nisi in Patriæ bonũ labitur, quæ Scuta nunc Virûm galeasq; voluit; & prima ad extinguendos Viennæ ignes, generoso impetu fluxit, non in Danubij tantùm gratos sinus, sed in perennes laudum Oceanos, (quod Tui præcipuum Fluminis centrum est) non transitura aquarum ingenio Tua decora, infinito tractu reducet. Implete & vos calamum, quæ Polonam in Pyrrho vestro Aquilam, in tantùm gloriæ evexistis, Pennæ Aureæ PRINCIPES, HEROESq; Illustrissimi. Hæc vel vnica Virtutis Vestræ æstimatio sit: & Regẽ tantis Militibus; & Vos tanto Rege fuisse dignissimos. Augete Lauro Mitras fortissimi Ducum VISNIOVIECII: referte passim vestra decora, subnixi triumphalibus HASTIS & captiuis Arcibus ZAMOYSCII: Iasones Lechiæ CZARNECII, DONHOFII, LESZCZYNII, KRASINII, BIDZINII, DANIELOVICII, Sexcentiùe alij, quorum mihi fortitudo quàm Nomina notiora: & dum locum exilis negat pagina, legẽdi olim in fastis æternitatis Heroes.

Sed haustam à Regalibus auspicijs Tuis, in Te iterum refundunt lucem, Martij hi Planetæ; quos inter, Serenissima lux Tua, velut inter ignes Luna minores, Regium attollit jubar. Tu omnium Apex & summitas, omnes elogiorum census recipis: ac inter illos partiris. Tu Votorum meta, gloriæ compendium, Martiæ virtutis Speculum, in quo sua vnusquisq; fortia gesta videt; & quantum à Te supremo distet, explorat. Tu laudum Oceanus, ex quo

 alij

alij omnes dũm hauriunt, Te fontẽ ſuum coronant. Excepêre Triumphos Tuos, cum illo fatali Orientis Vexillo, Romanæ triumphantium Sedes: quos vel Togati olim Quiritum Ordines, in Pompeij amphitheatro libentiùs admirati fuiſſent. Tuis Sanctum Orbis CAPVT conatibus annuit, & noxæ omnis expertes INNOCENTIVS abſoluit: erectâ in perennem memoriam, marmoreâ Tibi columnâ, vt oſtenderet quàm ſolidè auſus Tuos paterno cordi imprimat: & addito DEFENSORIS FIDEI Auguſtiſſimo Titulo; vt non ſine poſterorũ fide, Tua eſſent incredibilis fortitudinis portenta. Nos pro eo, quòd vltra ſpem ac votum, felices ac glorioſos reddideris, vota, quæ pro Te publicè nũcupãtur, Orbis vniuerſi deſiderijs jungimus: vt beatam Tibi longæuamq; vitam, par facinorũ immortalitati æuum proroget: de noſtris addat Tibi annis Iuppiter, quos viuendo glorioſos facies: de noſtro robore Tuum firmet, vt publicam felicitatem vegetet: Quicunq; mundi terminus obſiſtet, triumphalibus hunc frangas armis: in gratijs & amoribus Deorum, ſine metu hominum viuas; vt aut vincas mala aut FINIAS.

Ad M. D. G. V. I. H.